
102

ACCVRATISSIMA ET BREVISSIMA ARISTOTELEIORVM LIBRORUM de Dialectica Inductio, rudiori ætati perneceſſaria.

Auctore Petro Guinellio.



COLONIAE,
Apud Maternum Cholinum.
Anno 1 5 6 3.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

12.21.B.8

CLARISSIMO
ATQVE ORNATISSIMO
D. HENRICO D VVOLFFS VVESTEN-
rodeo, Domino Poteghemio,
Eertbruggēſi, & conſuli
Campenſi prudentiſ
ſimo Petrus Gui-
nellius.

S. D. P.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

PRæclariſsimè mihi facere videntur ij, qui ciuilibus ſcholis ita præſint, vt infirmioris diſcentium multitudinis rationibus quàm optimè conſulant & prouideāt. Etenim non committunt, quin ij qui audiant, quiq; velut ſubacto ingenio ad cognitionis & ſcientiæ cupiditatem vtantur, ſic diſſerendi ratione atque ſcientia (quæ rem definiat, genera diſpartiat, ſequentia adiungat, perfecta concludat, vera & falſa dijudicet) erudiātur, vt in quęrendi atque accommodatè reſpondendi genere permultum valeant, ne tādem in generalibus diatribis, tanquā academijs nudi prorſus & inermes in cautiſsimis conflictionibus, acutiſsimiſq; concertationib.

videantur: quaſi verò ea philoſophiæ parte, quæ ad differendi ſubtilitatē pertineat, non ſint infecti atque imbuti. Quod malum vt commodiſsimè declinetur, magnum ſtudiū multamq́; operam in eo conſumpſi, vt præceptionum dialectices (quę Organo Ariſtotelęo coërcetur atque continetur) rationem ſic in pauca conferrem, vt vberrimum fructum ij qui diſcant perciperent, vt denique in artis curriculum deſcenderent, vt glorioſè in dialecticæ artis ſtadium prodire auderent, vt in auctorum ſcriptis vſum conſiderarent. Quanquam ex animo meo propter diuturnam intermiſsionem diſceſsit aliqua & perſpiciendi quid in quaq; re ſit, & iudicandi qualequicq; ſit, & ratione & via diſputandi, ſcientiæ memoria, tamen, dum Ariſtotelicis & Ciceronianis veſtigijs inſiſtam, nihil repertum iri ſpero, quod ſub ineptiarum crimen incidat, quodque abalienatiſſimùm ſit ab ambiguarum, cōtortarum, perturbatarum rationum, cauſſarumque perſpiciendarum atque inueſtigandarum doctrina. Itaq; peruelim hoc ſtudij genus ita acceptes, vt & tui animi lumen appareat, & nobilitatis maioribus noſtris approbatiſsimæ ſplēdor, inſtar ſolis etiam in inuidulos, cupidè contra veritatem pugnantes, effundatur.

datur: quũ nõ tam intereſt quo animo quippiã ſcribatur, quàm quo accipiatur. Ea enim pleriſque ineſt maleuolentia, vt omnia præ ſuis contemnant. Ad quorum inuidentiam obterendam, dum tuarum virtutum & nominis præſtantia, & dignitas, noſtro labori ſuffecerit, eum ſub tuæ tutelæ vmbra latere permitteres vellem, tuosq; fratres, D. Ioannem VVeſtenrodeũ, D. Guolterũ d VVolffs VVeſtenrodeum omnibus excellentes, tum mecũ & amicitia, & omni uoluntate ſententiaque coniunctos, meo nomine ſaluere plurimum iuberes.

Bene vale, ſubitò Campis, pridie Calẽdas Nouembres: Anno à Chriſto nato 1561.

Dialectica eſt ars quaq; de re in utrãq; partem diſſerendi probabiliter, et interdum neceſſariò probandi.

De eius notatione.

Dialectica ἀπὸ τοῦ διαλέγεσθαι, hoc eſt, à diſſerẽdo, ꝙ ſingulis de rebus aptiſsimè diſputet.

Diſſimilitudo dialectices & Rhetorices.

Dialectica rem diſsolutam diuiſamq; conglutinat, et ratione quadam conſtringit: Rhetorica uerò latiſsimè inſtar exundantis in medios campos fluuij manat, ſeu perpetua oratione decurrit: Hinc illam Zeno Stoicus pugnò, hanc palmæ ſimilem eſſe dicebat, quòd comprehenſiùs loquerentur Dialectici, Rhetores autem latiùs.

Materia.

Quicquid uelut ambiguũ ac incertum in diſputationem cadit, id materia nominari poteſt. Eius generis ſunt, quæcunq; in diſputationem incidunt, hoc eſt, res dubitationi ſubiectæ.

Officium.

Accõmodatè ad probabilitatẽ quaq; de re diſſerere.

Finis.

Probabiliter quaq; de re diſſerere, idq; interdum neceſſariò.

Diſſerẽdi doctrina in duas partes diuiditur.

In inuentionem, et iudicationẽ. Inuentio inueniendorum argumentorum uiam aperit. Iudicatio de inuentis iudicat, inuentáque conuenientiſsimo ordine collocat.

colloeat. De quarũ altera, quòd naturæ ordine certè prior, & ad uſum potior ſit, principiò dicendum eſt: quo in genere ſunt uoces, categoriæ, loci, pronunciata. Tum ad argumentandi genera deſcendemus.

De vocibus.

Voces uel prædicabilia de multis συνωνύμως dicuntur. i. ſunt tituli ſeu nõia uocũ cõmunium, quæ in oratione de ſibi cognatis certa ratione dicuntur. Dicẽdi autem uerbo hîc nihil aliud intelligitur, quàm alicui aliquid tanquam titulo tribuere.

Vocum vtilitas.

Voces rerum generibus cognoſcendis, definitionibus, diuiſionibus, demonſtrationibus plerunque conducunt.

Earum partes quinque.

Genus, ſpecies, differẽtia, proprium, accidens. Genus id eſt, quod ſimiles cummunione quadam, ſpecie autem differentes duas aut plures complectitur partes. Vel: Genus eſt titulus ſeu appellatio attributa uocibus communibus, quæ non ſecùs cum præſente themate cohærent, atque cum filio parens.

Eius formæ ſunt dūæ.

Summũ, primum, ultimum genus eſt in ſingulis rerum ordinibus communiſsima uox, quæ ſui communione, omnia eiuſdem ordinis uocabula ſub ſe comprehendit, non ſecùs, ac in familia nobili & locupleti, tritauus ordine habet ſubiectos auis filios, nepotes, pronepotes, atq; his ſuccedentes perſonas. Interiectũ

ſeu medium genus eſt, quod & genus & ſpecies eſſe poßit: In quo genere ſunt, color, arbor, animal.

Speciei appellatiõe, pars, forma intelligitur, quæ eſt titulus uocum communium, quæ non ſecius cum præſenti quæſtione cohærent, quàm cum parente ſoboles. Vel: *Species eſt id, quod generi ſubijcitur:* Cuiuſmodi *ſunt, prunus, malus, uolemus.* Ac *hæc in duo genera diſtribuitur.* In *ſpeciem ultimam ſeu infimam, & mediam ſeu interiectam.* Infima *nunquam generis uim & naturam niſi in ratiocinatione ſuſtinet.* Media *uerò ſuſtinet:* Cuius *generis ſunt piſcis, fera, auis.*

Differentia eſt, qua ſpecies inter ſe differunt, uel quæ ſpecies eiuſdẽ generis diſcernit, uel propria rei nota, qua ab alijs diſtinguitur rebus. Vel; *Differentia eſt titulus uocum communium, certa rerum diſcrimina ſeu formas ſignificantium, quibus natura & ars res à ſe mutuò diſtare uoluerint:* Cuiuſmodi *ſunt, cogitationis & rationis particeps, expers rationis.*

Ea eſt tripartita.

Communis, propria ſeu uera, & maximè propria. Communis *differentia dicitur, quòd quauis communitate uel à ſe differt, uel ab altero.* Ac *hæc elui ſeiungíq; poteſt, ut Socrates à* Platone, *& à ſe ipſe, puer cùm eſſet, & cùm conſtanti ætate, cùm quid ageret, & cùm nihil, diſtabat* Iſocrates *ſenex à ſe puero.*

Propria, *à rei forma proficiſcitur: nam eſt, cùm aliqua affectio uel accidens id, quod elui funditùs non*

poteſt,

poteſt, diſsimilitudinem facit: Cuiuſmodi ſunt, ator in coruo, candor in cygno.

Maximè propria, ſeu formarum efficiens eſt, quæ de multis ſpecie etiam differẽtibus in quæſtione, qua quale quid ſit indagatur, dicitur: quam iure ac meritò mutuatitiam & periphraſticam appellare poſſumus, quòd, cùm uera differentia deſtituamur, cauſſas, uel partes, uel accidentia congeramus tantiſper, dum perfecti diſcriminis uicem explere poſsint.

Formarum efficiens differentia eſt duplex.

Diuidens, qua genus in partes aut ſpecies diuidimus, ut animalium aliud ratione ac mente præditum, aliud expers rationis.

Conſtituens, quæ generi adiuncta partem efficit. Eius generis eſt, animal rationis & mẽtis particeps.

Proprium.

Proprium eſt, propria rei indoles ſiue natura, quæ conuenit uniformæ tantùm, idq; uniuerſæ. Cuiuſmodi ſunt numerare, loqui, ridere, quæ tribuũtur hõi. Eius genera, Ariſtotelæa ſententia, ſunt quatuor. 1. Quod uni ſoli cõpetit, neq; toti, ut homini mederi. 2. Quod toti ſpeciei etſi non ſoli, uelut bipedem eſſe. 3. Quod in ſola totaq; ſpecie, idq; interdum, reperitur, ut caleſcere. 4. Quod in ſola & tota ſpecie, idq; ſemper intelligitur. Cuiuſmodi ſunt aptum eſſe ad ridendũ, aptum eſſe ad hinniendum.

Accidens.

Accidẽs appellatur uocabulum cõmune, uagantem naturã declarans, quæ adeſſe uel abeſſe ſine eius rei, in qua ſitum eſt, interitu poteſt. Ac hoc uel ſeparabile, uel non ſeparabile nominatur. Separabile diuelli ſeiungiq́; poteſt. Cuiuſmodi ſunt, ſedere, ſtare, dormire. Non ſeparabile, quòd mente atque cogitatione tantummodo ſeparetur, non actu. Nam ratione, animiq́; conceptu à rei, cui inſit, natura ita diſtrahitur, ut ipſi nihil officiatur. Eius generis ſunt, calor in igne, nigror in coruo, candor in cygno.

Communitas atq; diſcrepantia uocum.

Omnibus uocibus dici de multis συνωνύμως *præter accidens competit, quod* παρωνύμως *dicitur. Genus et ſpecies rei naturam inueſtigant, quanquam genus à forma diſtet, quòd de multis ſpecie differentibus dicatur, forma de multis numero. Differentia dicitur in quæſtione, qua quale quid indigatur. Proprium et accidens dicuntur in quæſtione, qua quale quid rei fortuitæ attributum inquiritur. Differunt autem, quòd proprium conuerſim de re dicatur, accidens non item.*

Categoriarum doctrina.

Explicatis uocum communium titulis, ad rerum ſeu uocũ cognatarum ordines quaſi claſſes deſcendamus, quæ uulgò prædicamenta nominantur, quòd uocum tum communiũ, tum cognatarum ſeriem complectantur, quarum ſuperiores inferioribus in oratione rectè tribui poßint. Quę ut percommodè cognoſcan-

gnoſcantur & percipiantur, memoriæ tradēda ſunt, quæ uulgus Dialecticorum *anticategorias nominat, quæ ſunt uelut quædam præludia ad perfectam ſummorum generum cognitionem conſequendam. aperiunt enim nobis uiam eorum, quæ ad rerum capita pertineant, quæq́; minus, animo comprehendorum.*

Anteceſſiones categoriarum.

Anticategoriæ in genere tres. Definitio, Diuiſio, Regula. In ſpecie 7. *Definitiones tres, diuiſiones duæ,* Regulæ *totidem.*

Homonyma dicuntur, quorum nomen ſolum commune eſt, definitio autem naturæ nomini congruens, alia atq; alia, hoc eſt, Homonyma *uocantur, quæ licèt eandem habeāt appellationem, non tamen ex ea communis definitio exiſtit, ut* Taurus *ſydus cœleſte,* Taurus *mons,* Taurus Philoſophus, *taurus animal.* Ac *hæc à rerum generibus ſecluduntur.*

Synonyma uerò dicuntur, quorum & nomen commune eſt, & eadem definitio nomini attributa: hoc eſt, Synonyma ſua appellatione nihil à definitione diſcrepant. Et *hæc categorias ingrediuntur.*

Paronyma uocantur ea, quæ orta ab uno nomine uariè commutantur: ut à grammatica grammaticus, à fortitudine fortis. Eorum *quæ dicuntur partim coniuncta ſunt, partim ſimplicia.* Coniuncta *ut* Paulus *diſputat,* Ioannes *litigat.* Simplicia *ut arbor, animal.* Ex *quo coniuncta intelliguntur*

liguntur à prædicamentis ſecerni.

Eorum quæ ſunt, alia de ſubiecto aliquo tanquam inferiori dicuntur, nec in ſubiecto, uelut ſubſtantia, inſunt ullo, ut homo, elephas, hircoceruus. Dici enim de ſubiecto, eſt in multis intelligi una eademq́; ſignificatione, ut animal de homine, de leone, de aſino, alijsq́; animantium generibus. Ineſſe autem ſubiecto eſt aliud nihil, niſi ſic ineſſe in aliqua re, ut non ſit pars eius, nec ab ea ſeperari ſeiungiq́; poßit, ueluti, dialectica ſic in animo ineſt, ut non ſit eius pars, nec ab eo ſeiungatur. Neq; ratio diuerſa à cæterarum artium generibus indicari poteſt.

Alia in ſubiecto tanquàm in natura ſunt quidem, ſed de ſubiecto nullo dicuntur, ut hic uel ille candor eſt quidem in ſubiecto corpore, attamen in nullo ſubiecto dicitur.

Quædam & de ſubiecto dicuntur, & in ſubiecto ſunt, ut, ſcientia in ſubiecto animo ineſt, ac de ſubiecta grammatica dicitur. Nõnulla nec in ſubiecto ſita ſunt, nec de ſubiecto dicuntur ullo, ut ſinguli homines, ſinguli equi, ſinguli leopardi. Ac ex his deprehenduntur, quæ ad eadem rerum genera, quæ que ad diuerſa pertineant.

Quando alterum de altero tanquàm de ſubiecto dicitur, quidquid de attributo dicitur, id omne de ſubiecto quoque dicetur, ueluti, quia bos de quopiam boue dicitur, & animal de boue: ob eam etiam cauſſam de ſingulis bobus dicetur. Huc faciunt quæcunq; di-

rectam

rectam attributionem habent, atque adeò ut pleraq; (quæ ad expoſita definitionum, diuiſionumque genera reuocentur) multò commodius intelligantur: quinetiam permagnum adiumentum demonſtrationi adferant.

Quæ genere differunt, nec unum ab altero continetur, eorũ etiam differẽtiæ ſpecie differunt. Ex quo cuiuſmodi ſint, quæ non ad diuerſas categorias ſpectent, intelligimus. Atque hæc de categoriarum anteceßionibus, nunc de ipſis elementis agendum eſt.

De Categorijs.

Categoriarum appellatione intelliguntur ordines ſeu claſſes rerum, genera, capita, elementa, quæ à Rhetoribus attributa nominantur: quæ hoc conſilio à politißimis eruditißimisq; uiris conſtituta ſunt, ut ſtudioſis adoleſcentibus proponerent uerißimum diſcendi modum: nam tota hæc doctrina in formandis ſtudij rationibus conſumitur. Porrò categoria eſt rerũ ſeries, quæ ſimplicibus uocibus deſignatur: quo in genere ſunt. Natura, quantitas, qualitas, quæ cum alijs comparantur, agere, pati, ubi, quãdo, ſitum eſſe, habere: quarum categoriarum tres ſunt abſolutæ, reliquæ autem, relata.

Natura.

Nomine naturæ intelligitur id, quod Fabio eſſen-

tia,

tia, ueteribus ſubſtantia nuncupatur, quòd omnibus rebus ſubiecta ſit. Eſt autem natura res per ſe ſubſiſtens, nec ullius rei indigens. Cuius genera ſunt dúo, primum & ſecundum. Primum ſub ſenſum incidit. Cuiuſmodi ſunt indiuidua. Secundum ſola ratione intelligitur, cuiuſmodi ſunt genera & ſpecies, quæ ex indiuiduis conſiderantur. Quod ut multò accuratiùs percipiatur tabulam quaſi arborem ſubijcimus.

- Subſtantia rũ alia
  - Expers corporis ut ſpiritus q eſt, aut
    - Creans ut Deus
      - Pater
      - filius
      - ſpiritus ſanctus
    - Creatus aut
      - Bonꝰ ut
        - Angelus
          - Michaël
          - Gabriel
          - Raphaël
          - Vriel
        - Animꝰ ut
          - Vegetans
          - Sentiens
          - Rationis particeps
      - Malus ut Sathan
        - Lucifer
        - Beelzebub
        - Belial.

Cor-

- Corporata ut corpus, q; eſt aut
  - Simplex aut
    - Aethereum uelut cœlum
      - Empyreum
      - Criſtallinum ſeu aqueum
      - Primum mobile
      - Firmamentum.
      - Sphæra
        - Saturni
        - Iouis
        - Martis
        - Solis
        - Veneris
        - Mercurij
        - Lunæ.
    - Elementale
      - Ignis
      - Aër
      - Aqua
      - Terra.
  - Inanime
    - Imperfectū, meteora, .i. q̄ in aëre gignūtur, ut fumus, exhalatio, uapor, lācea uel ſagitta ardens, capræ ſaltātes, nubes, nebula.
    - Perfectū, metallica, ſiue foßilia, uelut metalla, aurū, argentū, æs, ſtānū, plūbū, gemma, lapides, bitumen, alumen, ſulphur.

- Concretũ aut
  - Animatũ aut
    - Vegetans
      - Arbor
        - Pirus
        - Pomus
        - Quercus
        - Volemus
      - Frutex
        - Rubus
        - Nardus
        - Rhãnus.
      - Herba
        - Abſynthiũ
        - Origanum
        - Apium.
    - Sẽtiens
      - Rationis exps, aut
        - Aẽriũ
          - Auis
            - Aquila
            - Paſſer
            - Coturnix
            - Monedula.
          - Inſectum
            - Apis
            - Muſca
            - Crabro
            - Veſpa.
        - Terreſtre
          - Gradiẽs ut
            - Canis
            - Equus
            - Bos.
          - Reptile ut
            - Anguis
            - Vipera
            - Cõcha.

- Aquatile ut
  - Piſcis
  - Carpio
  - Harenga
  - Gobio.
- Ambiguũ ut
  - Anas
  - Rana
  - Cãcer.
- Rationis particeps ut homo
  - Homerus
  - Plato
  - Cicero
  - Virgilius.

Omni naturæ tam primæ quàm ſecundæ in ſubiecto non eſſe conuenit. Secundæ de ſubiecto dici: quarum neutra elationem & ſubmiſſionem admittit, hoc eſt, natura non dicitur cum magis & minùs aduerbijs, nec repugnantia in ea reperitur, licet ſit una eademq́; numero, & uim habeat accipiendi contraria, quod ei etiam maximè proprium eſt. Ad extremum huic categoriæ competit, quòd natura quiddam hoc uel illud ſignificet.

Quantitas.

Quantitas eſt ordo accidentium, quibus ſubſtãtia indiuidua præſertim in partes & numeros diſtinguitur. Cuius ordinis ſunt, Aſtronomia, Geometria, Arithmetica, muſica, oẽs deniq; diſciplinæ, quas ma

thematicas nominant. Itaq; huius generis erunt, quæcunq; loci, temporis, numeri, menſuræ, ponderisq; rationem præ ſe ferant. Porrò quantitatis genera ſunt duo, coniunctum & deiunctum. Quod Ariſtoteles συνεχὲς*, Varro coniunctum, Cicero cohærens, continuatum, connexum appellat. Eſt autem coniunctum, cuius partes communi termino cohærent, uel quo res in ſpacia diſſecamus: ut, linea, extremitas, corpus, locus, tempus. Linea eſt longitudo ſine latitudine & craſſitudine. Cuiuſmodi ſunt, ulna, cubitus, granum, digitus, palmus, pes, paſſus, ſtadium. Superficies, Barbaris extremitas, planum, libramentum Latinis appellatur: Et eſt, magnitudo craſſitudine uacans. Huc æqua & iniqua referuntur. Corpus autem eſt magnitudo, in qua inſit longitudo, latitudo, & craſſities, uelut, rotundum, angulare. Locus corporis rationem ſequitur maximè. Tempus, quod adeſt, quodq; præſens eſt, & cum præterito & futuro copulatur.*

Deiunctum uerò ſeu ſeparatum, uulgò diſcretum, eſt, cuius partes nullo certo termino coniunctæ ſunt, dicitúrque multitudo: uerbi cauſſa, ternionis partes ſunt duo & unum, aut tres monades. Deiuncti autem duæ ſunt formæ. Numerus & oratio. Numerus monadωn collectio: Oratio literarum atq; ſyllabarum accentus, interim & dictionum: quòd hæ pronunciatione ſeparentur. Quantitatum rurſus aliæ ſitum certum habẽt, uelut linea, extremitas, corpus, locus: aliæ non item, quia orationis & temporis partes conti-

nenter

nenter fluunt atque labuntur : numeri autem partes etſi non fluunt, tamen nuſquam ſitæ ſunt, quanquam ordine conſtent.

Tabula Quantitatis.

- *Quantitas vel*
  - *Cōiuncta ut magnitudo*
    - *Permanens*
      - *Linea*
        - *Recta*
        - *Curua*
      - Extremitas
        - *Aequa.*
        - *Iniqua.*
      - *Corpus*
        - *Rotundū*
        - *Angulare.*
    - *Succedēs*
      - *Locus*
        - *Latus*
        - *Anguſtus*
        - *Exilis.*
      - *Tēpus*
        - *Annus*
        - *Menſis*
        - *Septimana*
        - *Dies*
        - *Hora.*

- *Deiūcta*
  - *Numerus*
    - *Incertus*
      - *Multus*
      - *Paruus*
      - *Par*
      - *Impar*
      - *Perfectus*
      - *Imperfectus*
    - *Certus*
      - *Principalis, ut unum, duo.*
      - *Ordinis, ut primus, ſecundus.*
      - *Diſtribuens, ut, bini, terni.*
      - *Multiplicans ut, ſimplex duplex.*
  - *Oratio*
    - *Nomen*
    - *Verbum*
    - *Participium.*
    - *Et cæteræ uoces.*

Proprietas quantitatis.

Quantitati nihil eſt contrarium: proinde illa magis & minùs reſpuit, ſed eius maximè proprium eſt

par & impar nominari.

Qualitas.

Qualitas eſt, ex qua quales eſſe dicimur: ut à candore candidi, ab atrore atri, ab eruditione eruditi: Cuius genera ſunt quatuor, habitus & affectio, Naturalis facultas aut uis, et imbecillitas, patibilis qualitas & perturbatio, figura & forma.

Habitus eſt corporis uel animi conſtans & abſoluta in aliqua re perfectio, conſuetudine & actionibus iteratis comparata. Ex qua finitione duplex habitus ratio intelligitur, corporis una, animi altera. Habitum corporis Ciceroniana ſentētia nominamus, cōmodam agendi facultatem, non natura tributam, ſed ſtudio induſtriaq; cōparatam: Cuiuſmodi ſunt, palæſtrica, conſuetudo chordas peritè tangendi. Sed animi habitus aut in intelligēdi, ut artis & ſciētiæ præceptio, aut in deliberandi facultate perficitur. In quo genere numeratur uirtutum uitiorumq; ratio. Permultum adiumēti tibi ad hanc partem percipiendam adferet adiacentium accedentium ἀχωρίστων diſciplinam. Affectio autem eſt habitus inchoatus, ſed necdū ratione uſuq; agendi confirmatus: Cuiuſmodi ſunt adiacentia aduentitia ſeu aſſumpta χώριστα.

Natu·alis uis uel potentia eſt, à natura inſita facultas actionis perpeßioniſq; ſuſcipiendæ. Quo in genere ſunt, bellicoſi ad pugnandum, poëtæ ad carminum compoſitionem apti ſunt.

Imbecillitas dicitur, qua difficiliùs aliquid geri-

mus aut accipimus, ut iuuenes ad percipiendas uirtutes & ſcientias non aptos animos habent. Huc ſpectant uariæ metallorum, medicamentorumq́ue, & ſimplicium, & mixtorum facultates: item animæ uires.

Patibilis qualitas dicitur, quæ uel ſenſum mouet, uel à perturbatione orta eſt, uel quæ ſenſus ipſos afficit, & mouet: Cuiuſmodi ſunt ſapores, odores, ſoni ac modi, & quæ tactu percipiuntur qualitates. Vel, quæ ortũ habẽt ab affectionibus, quæ uix tolli poſſũt. Quo in genere ſunt, colores ſtabiles et diuturni, corporis et animi perturbationes generis eiuſdem.

Perturbatio ut citò naſcitur, ſic celeriter occidit. Cuiuſmodi ſunt, pallor ex metu natus, rubor ex pudore, quanquam eiuſmodi formas qualitatis uim obtinere Ariſtoteles negat, ſed qua de cauſſa id faciat non uideo, niſi etiam affectiones ex qualitatis finibus eijciat. In hanc ſpeciem includuntur conſtantes & caducæ tum corporis, tum animi affectiones ſeu formæ, quæ aut ſenſum aut animũ uariè afficiant.

Figura eſt una aut multis lineis comprehenſa qualitas, ut, triangulum, tribus angulis conſtat, quadratum quatuor.

Forma uerò eſt apta quædam compoſitio, uel membrorum in animalibus, uel partiũ, ut in mutis rebus: ex qua res pulchræ & formoſæ nominantur. Ex quo huius generis diſcrepantia perfacilè perſpicitur. Nã altera inanimorũ eſt, altera animalium, & eorũ quæ ſub oculorum ſenſum cadunt. A qualitate nõ prorſus

repu-

repugnantia, contentio & remiſsio repudiantur: neque ab ea ſecernitur ſimile & diſsimile. Cuius ordinis tabula ſubijcitur cauſſa memoriæ.

- 1 Habi-bitus
  - Animi
    - Intel-lectus
      - Prudentia
      - Artes
        - Grãmatica
        - Dialectica
        - Rhetorica
    - Volũ-tatis
      - Iuſtitia
      - Fortitudo.
      - Temperantia.
  - Corporis
    - Robur
    - Velocitas
    - Agilitas.
    - De his Cice. in Officijs: Et Ariſt. in Ethicis, et in li. de uirtut.
- Affe-ctio
  - Aegritudo
  - Metus
  - Lætitia
  - Cupiditas
  - Calor
  - Frigus.
  - De quibus uide Ciceronem tertia Tuſcul.
- 2 Naturalis uis ſeu imbecilli-
  - Agendum, ut bellicoſi ad pugnandum.
  - Accipiendum, ut aptum eſſe

Qualitas autem eſt

- tas ad aliquid
  - ad uirtutem & ſcientiam.
  - Non patiendum ſiue non accipiendum, ut dura non facilè admittunt ſectionem
- 3. Patibilis qualitas, quę habitui reſpõdet, cui ſubiecta ſunt.
  - Senſus mouentia
    - Sapores
      - Dulcedo
      - Amaror
      - Guſtatũ
    - Odores
      - Odoratũ
      - Fœtidum
      - Olfactũ
    - Soni
      - Acutus
      - Medius
      - Grauis.
      - Auditũ
    - Colores
      - Candor
      - Nigror
      - Aſpectũ
    - Calida Frigida, Tactum.
    - Mouent.
  - Nata à perturbatione, difficilique ſublationi ſubiecta.
    - Flauus color ex icteride.
    - Pallor ex Phthiſi, uel ex diuturno metu uel amore.
    - Amaror in palato ex atra bile.

Per-

- Perturbatio reſpõdens affectioni
  - Corporis ut
    - Pallor ex metu.
    - Rubor ex pudore.
  - Animi
    - Aegritudo
    - Voluptas
    - Metus
    - Cupiditas
- 4. Figura
  - Rectum
  - Obliquum
  - Triangulum
  - Quadratum.
- Forma
  - Mẽbrorum
    - Hominis
    - Volucris
    - Piſcis.
  - Partium
    - Domus
    - Nauis
    - Currus.

Relata.

Quæ neceſſariam mutuamq́; affectionẽ deſignãt, mutuoq́; concipiendi finiendiq́; ordine intelliguntur, uulgò relata ſecundum eſſe nominantur, quòd ipſa nominis ratio atque eſſentia ad aliquid neceſſariò referatur, ſitq́; quaſi comparationis effectus. Ac hæc ab alijs propria nuncupantur. Eius generis ſunt, q̃ à Rodolpho connexa uocantur. Rurſus impropria,

quæ uulgò ſecundum dici appellantur, comparata reperiuntur, quæ ex ſe non habent, ſed neceſſe eſt, ut alia accerſant, quibus exprimantur. In his, *quæ cum alijs conferuntur, ſpectanda ſunt duo, fundamentum, & terminus.* Relatiuum *&* correlatiuum.

Relatiuum, *à quo ſumitur relatio.* Correlatiuum *in quod deſinit.* Relatiuum *eſt ipſum fundamentum, ut pater, dominus, magiſter.* Correlatiuum, *terminus, ut filius, ſeruus, diſcipulus.*

Proprietas.

Relatis, *quæ ex qualitatibus oriuntur, repugnantia ineſt, nec non contentio & remiſſio. Tũ quæ hoc in genere ſunt, reciprocãtur, ac ſimul naturæ ordine ſunt. Vno enim relatorũ cognito, cognoſcitur & alterum.*

Actio.

Actio eſt qua uis ſua in aliud, q̃ eam accipere poſſit, inducitur, hoc eſt, actio appellatur quædã potẽtia per quã in rẽ ſubiectã agimus, ut cùm ignẽ dico accẽdere materiã, hoc dico, ignẽ uim accẽdẽdi in materiã immittere. Requirit *aũt omnis actio ſubiectum, in q̃ agendi uis tẽdat, quorũ hoc patiẽs, illud agens nominatũ.* Etenim *eſt ueluti mutuus cõtractus, ac quaſi matrimoniũ quoddã inter actionẽ et perpeſſionẽ: q̃ quẽadmodũ cõiugiũ ſine marito et uxore non ſit, ita nec actio ſine perpeſſione eſſe poteſt. Actio aũt eſt aĩ & corporis. Aĩ actiones mouẽt quidẽ corpus, ſed nõ ipſũ aĩum à quo proficiſcũtur.* Quo *in genere ſunt, docere, intelligere.* Corporis *uerò, neceſſariò et ſubiectũ,*

in quod tendant, & corpus, ex quo oriantur, mouēt. Cuiuſmodi ſunt, ſecare, urere. Præterea, actionū aliæ naturales, ut generare, interimere, augere, minuere, commutare, mutare locum, aliæ ciuiles, ut actiones officiorum & uirtutum. Aliæ ſacræ, ut quæ fiunt in ceremonijs, & diuinis adminiſtrationibus.

Paßio ſeu perpeßio, eſt patientis ad agentem relatio. Eius diſtributio ex ſuperioribus intelligitur. Vtramq; categoriā Rodolphus actus nominat. Porrò Perpeßionis ordine comprehenduntur uerba à grammaticis patientia nominata. Quanquam & hoc loco Philoſophis nonnulla excipienda uidebuntur, quæ tametſi grammatici ſermonis cōſuetudinem ſecuti paßioni aßcribant, ad naturæ tamen rationem examinata, non paßionem, ſed actionem declarent.

Elatio & ſubmißio his conueniunt, deinde repugnantia. Vtriuſque autem plurimus in diſputatione eſt uſus.

Situm eſſe.

Situm eſſe, eſt ita locatas eſſe partes rei, ut neque agat quid, neque patiatur, ſed neutro modo ſe habeat. In animalibus, quæ nunc ſtant, nunc iacēt, nunc curua, nunc prona ſunt, tū etiam in geſtibus, tū in rebus inanimis, ſpectātur ſitus: ut turres ſtant, lignū excepto hebeno aquis innatat. Eius diſtributio duplex eſt, naturalis, ut hominē rectū eſſe, cadauer uiri pronū, mulieris ſupinum in profluentem proiectū fluere teſtatur Solinus. Artificialis ſiue ciuilis, ut ſtare, ſedere.

dere.Perrarò hæc categoria in diſputationẽ incidit. Non deſunt,qui hoc genus propter motus uacuitatem ſtatum appellent,& fortaßis non abs re.

Vbi.

Vbi eſt loci circumſcriptio ſeu notatio, uel in loco eſſe,facere,aut perpeti aliquid, eſt loco circumſcribi & definiri tum naturam rei, tum eius actionẽ, ita ut certo loco ea ſit, agat aut perpetiatur, non in alio.Ex quo perſpicuum eſt hîc locum eſſe, in quo res ipſa eſt.Eius diuiſio ex loci diuerſitate ſumitur,licèt huius ordinis non ſit. Quocirca loci tractatio apud Ariſtotelem,Ciceronẽ, Agricolam non parum emolumenti adferet, ſi diligentia adhibeatur, ut mente comprehendatur.Hæc profectò categoria permultũ ponderis in exornatione atq; ſuaſione habet.

Quando.

Quando temporis περίστασιν *complectitur, id eſt, quo in tempore aliquid fieri declaratur, idq; ex inſtanti,ſuperioribus, conſequenti ſiue futuro. In hoc attributo ſpectantur omnia temporis nomina,quatenus affectionem aliquam &* περίστασιν *ſignificant.*

Habere.

Habere,quò pertinent quæ ad ueſtitum, ornamentum, tegumentum corporis referantur, ut,purpuratum eſſe, tunicatum, holoſericatum eſſe, auro & argento fulgere. Ac hoc attributum plurimum ualet in laudatione atq; deliberatione: Sed qua uia ex his quæſtiones exiſtant fuſißimè atq; apertißimè Perio=

nius

nius in ſuis dialecticis docet, quem hac doctrina & exercitatione diſſerendi leuiter percepta & cognita conſiderandũ cenſeo,ut nihil ſit, ꝙ pueritiã deſugiat.

Conſequentia categoriarum.

Iam nonnullæ uocum in ordine categorico cõfusè perturbateq; expoſitarũ diſtinctiones, uulgò poſtprædicamenta, ſuperſunt,quæ peruulgato uerſiculo comprehenduntur.

Op.pri.mo.ſimul,ha.tot ſunt poſtprædicamenta.

Oppoſitio(quã Cicero in Topicis contrarium nominat:)eſt diſſentio duarũ dictionum, quæ eodẽ tempore ac ratione eidẽ ſubiecto ineſſe non poſsint. Eius quatuor ſunt genera: Vnũ eorum quæ cũ aliquo conferuntur. Alterum eorum quæ aduerſa dicuntur. Tertium eorum puæ priuantia. Quartum eorum, quorũ alterum ait,alterum negat. Relatorum uis & natura perfacilè ex ſuperiori deſcriptione perſpicitur & cognoſcitur. Aduerſa nominantur,quæ ſub eodem genere plurimum diſtant,uel quorũ utrunq; ſimul exiſtere poteſt,et alterũ ſine altero eſſe,ut, bonũ, malũ.

Priuans eſt uacuitas alicuius in eo,quod ſit natum habere, uelut cæcitas non competit niſi ijs, qui nati ſunt,ad habendum oculorum ſenſum.

Contradictio eſt unius negatio, alterius affirmatio.Horum contrariorum diſciplina nobis adfert intelligentiam eorum,quorũ memoria & mentione in accuratam categoriarum doctrinam deducimur,tum permagnam argumentandi materiam ſuppeditat.

Prius aliud alio uariè, hoc eſt, quinq; modis appellatur: Tempore, Natura. Honore, Ordine, Cauſſa, *quemadmodum ex hoc diſticho deprehenditur.*

Tempore, natura, prius ordine dic & honore,
Effectu cauſam dicimus eſſe prius.

Tempore, *ex quo aliud alio antiquius appellatur: quo modo* Socrates *prior eſt* Ariſtotele. *Natura à qua non commeat retrò uiciſſim ſtatus conſequentia: ut forma prior indiuiduis, ſubiectum accidentibus, genus formis.* Ordine *ſunt eiuſmodi omnia quæ antecedant conſequentia, ut indiuiduum prius forma, ſpecies genere.* Dignitate, *ut præceptor diſcipulo.* At*qui quomodocunq; cur ſit alterum, uno nomine cauſa appellari poteſt.* Et *eſt à quo cum ſubſiſtendi conſequentia conuertitur, alterum alterius quoquo modo principium eſt & cauſſa.*

Simul autem bifariam ſumitur: Tempore, *Natura.* Tempore *ſunt, quorum ortus eodem eſt tempore.* Na*tura ſimul ſunt ea, quæ reciprocantur illa quidem in argumentatione, quæ ex ſtatu rei ducitur, ſed neutiquam alterum cauſa eſt ortus alteri, ut dominus famulus, pater filius,* Atq; *etiam ea quæ ex eodem genere quaſi ex altera parte diuidendo reſpondent, ſimul natura eſſe dicuntur:* Veluti *differentiæ & ſpecies eiuſdem generis.* Hinc *relatorum proprietas ſimul natura perſpicitur.*

Motui *ſex genera ſubijciuntur.* Ortus, *interitus, acceſſio, deceſſio, commutatio, et loci mutatio.* Ex *qua pe*

nultima

nultima motionis parte ſubſtantiæ proprictas intel-ligitur.

Habendi genera ſunt octo: Aut habere ut habitum & affectionem dicitur, aut aliam aliquã qualitatem, uel ut quantitatem, uel ut ea quæ corpus ueſtiunt, uel in parte, uel tanquam partem, uel tanquam in uaſe: habere etiã aliquid ut poſſeßionẽ dicimus. Atq; etiã uir uxorem habere, & uirum uxor dicitur. Quæ uerbi habendi ſignificatio una ex oĩbus alienißima eſt.

Doctrina enunciationum.

His ita explicatis, ad coniunctorum thematum diſciplinam deſcendimus, quæ ut multò commodiùs intelligãtur atq; cognoſcantur: primùm quid nominis, quid uerbi, quid orationis appellatione intelligatur uidendum erit, quòd nomine ac uerbo perfecta oratio dialecticis tantummodo conficiatur.

Nomen.

Nomen eſt uox & inſtituto ſignificans, omnis expers temporis, cùm pars nulla quicquam declarat ſeparatim. Nam in Reipublicæ *uerbo, publica nihil per ſe ſignificat. Eſt autem nomen duplex: Finitum, & infinitum. Finitum, quod ſine ulla negantia effertur. Infinitum, cui negantia adiungitur: quod in nominibus ijs, quæ cõcreta* Dialectici, Grãmatici *adiectiua nominant, locum præcipue habet: Quo in genere ſunt, non iuſtus, non dignus, non probus.*

Verbum.

Verbum autem id eſt, quod tempus adſignificat,

cuius

cuius pars nulla quicquam ſignificat ſeparatim,ſempérque ea declarat, quæ de altero dicuntur. De *uerbis finitis & infinitis eodem modo,quo de nominibus finitis & infinitis,iudicandum eſt.*

Oratio.

Oratio *eſt multarum dictionum ſeu uerborum ex hominum inſtituto ſignificantium comprehenſio, cuius partes ſeparatim aliquid declarant.*

Orationum genera.

Orationum *aliæ perfectæ,aliæ imperfectæ.Perfectæ abſolutam ſententiam in audientium animis imprimunt.Imperfectæ contrà non imprimunt: quoniã in imperfecta oratione prolata animi audientium nõ acquieſcunt,ſed aliquid prætera deſiderant aliud.*

Perfecta *oratio eſt,aut ea quæ enunciatio eſt, aut quæ non eſt enunciatio.* Enunciationis *appellatione intelligitur pronunciatum, ſeu propoſitio* πρότασις. Q*uæ dicitur oratio indicans, quæ uerum aut falſum animo ſenſum ſine ambiguitate repræſentat.* Cuiuſ*modi ſunt,ignis calefacit,* Homo *eſt cogitationis & rationis particeps.* Ab *hac ſecluduntur imperantiũ, optantium,rogantium,& admirantium orationes.* Q*uinetiam obſerues omnem enunciationem nomine ac uerbo,hoc eſt,ſubiecto & attributo conſtare.* N*ã ſubiectum nominatur, quod ordine ſyntaxeos prius eſt.* A*ttributum ſeu,ut uulgato more loquar, prædicatum eſt, quod priori ueluti titulus quidam in oratione uel attribuitur uel adimitur.* His *adiungitur*

copula,

copula, quæ eſt uerbum ſubſiſtens, hypoſtaticum prædicatum cum ſubiecto propoſitionis termino connectens. Ac hæc copula aliàs expreſſa eſt, aliàs latet, & reſolutione patefit, quoties nimirum uerbum de ſubiecto propoſitionis termino dicitur.

Pronunciatorum diuiſio.

Pronũciatorum alia categorica, hypothetica, alia affirmantia, negantia, alia uniuerſa, ſpecialia, infinita & ſingula. Atq; hæc partitio partim à natura, partim à qualitate, partim à quãtitate ſumitur, quod ex tritiſſimo uſitatiſſimoq; uerſiculo relucet:

Quæ ca. uel hyp. qualis ne. uel aff. u quanta par. in. ſing.

Categoricum pronunciatum.

Categorica enunciatio fit, cùm ſubiectum & attributum eſt ſimplex, ut diſcipulus diſputat, Plato eſt philoſophus. Ea autem eſt uel ſimplex, uel non ſimplex. Simplex cui uerbum ſimplex eſt, nulláque nota inſignitur. Vel: cuius ueritas & falſitas ἁπλῶς ſpectatur, non ex adiunctione. Non ſimplex, in qua notarum aliqua ponitur, ut, Neceſſe eſt diſcedere eum qui uelit doctus eſſe: fieri poteſt ut probitas alicui obſit: fieri non poteſt ut cœlum non moueatur: accidit ſæpe ut res non cedant ex animi ſententia. Porrò modificatæ enunciationes non ſimpliciter attributum rei ſubiectæ inhærere confitentur, ſed cum quadam certa conditione ei congruere ſubindicãt: quam conditionem uelut περίστασιν, τῶ τρόπω

C nomine

nomine plerique appellant. Ac modus eſt externa quædam materiæ expreſsio, & uelut elocutio ac index. Modorũ numerus multiplex, quanquam ſub quaternione à pleriſq; comprehendatur.

Modificatarum diſcordia.

Contrariarum ſeu oppoſitarum enunciationum aliæ ſunt, aduerſæ, aliæ ſubcontrariæ, aliæ hypallylæ, aliæ contradicentes ſeu diſparatæ.

Aduerſæ.

Omnis homo neceſſariò eſt animal.	*Omnis homo neceſſariò non eſt animal.*
Omnis homo poteſt eſſe iuſtus.	*Omnis homo iuſtus eſſe non poteſt.*

CONTRA DICENTES

Hypallylæ Hypallylæ

CONTRA DICENTES

Subcontrariæ.

Omnis

Omnis homo poteſt eſſe animal.	*Omnis homo poteſt nõ eſſe animal.*
Omnis homo iuſtus eſſe poteſt.	*Omnis homo iuſtus poteſt non eſſe.*

Contingit ut omnes ſenes diſcant: Contingit ut omnes ſenes non diſcant. Proinde hoc perſpicuũ eſt, hos modos, neceſſariò, neceſſariò non: uel neceſſe eſt, neceſſe eſt non, eſſe aduerſos: hos autem contradicentes, neceſſariò, & nõ neceſſariò, aduerſis conrarios: Fieri poteſt, & poteſt nõ fieri. Quod ipſum percommodè ex his uerſiculis perſpicitur:

Omne neceſſe ualet, ualet impoßibile nullum,
Poßibile aſt aliquod, non poßibile eſt aliquod non.
Idq; niſi præcedẽte negantia impediantur.

Quoniam autem hæc diſciplina mirabili difficultate obſtructa eſſe pleriſq; uidetur, non incommodè uocabula, facilitatis cauſſa reperta, explicãtur. Quo in genere ſunt: Amabimus, Edentuli, Iliace, Purpurea: quorum uis & natura ex uocalibus cognoſcitur. A ſimpliciter affirmantem enunciationem declarat: E negantem ex parte dicti: I negantem ratione modi: V ex parte dicti & mòdi. Ex quo illud:

E dictum negat, ique modum, nihil A, ſed V totum. *Itaque Edentuli & Amabimus, ſubcontrariè. Purpurea & Iliace aduerſè: Iliace &*

Amabimus diſparatè ſeu contradicenter, quo modo Purpurea & Edentuli pugnant inter ſe.

Subcontrariæ.

A	Fieri poteſt ut Paulus Corinthum adeat.	E	Fieri poteſt ut Paulus non adeat Corinthum.
Ma	Contingit ut Paulus Corinthum adeat.	Den	Contingit ut Paulus non adeat Corinthum.
Bi	Non poteſt non fieri ut Paulus Corinthũ adeat.	Tu	Nõ poteſt non fieri ut Paulus non adeat Corinthum.
Mus	Non neceſſe eſt ut Paulus non adeat Corinthum.	Li	Non neceſſe eſt ut Paulus adeat Corinthum.

Hypallyle　　Hypallyle

Aduerſæ.

Pur	Non poteſt fieri ut Paulus non adeat Corinthum.	I	Non poteſt fieri ut Paulus adeat Corinthum

Pu-

Pu	Nõ contingit ut Paulus non adeat Corinthum.	Li	Non contingit ut Paulus adeat Corinthum
Re	Poteſt non fieri ut Paulus non adeat Corinthum.	A	Non fieri poteſt ut Paulus adeat Corinthum.
A	Neceſſe eſt ut Paulus adeat.	Ce	Neceſſe eſt ut Paulus non adeat.

Harum enunciationum concordia percommodè ἐκ τῆς ἰσοδυναμίας *ſimplicium intelligitur.*

De Hypothetica.

Enunciatio hypothetica ex adiunctione ſeu copulata perficitur. Eius genera ſunt tria, Connexum, Coniunctio, Diſiunctio. Connexum eſt ea enunciatio in qua Si coniunctio, adiungitur, uelut, ſi homo eſt, animal eſt: Eius genera ſunt duo, Aiens & Negans. Aiens, cuius cõiunctio non negatur, licet partibus ipſis interponatur: Cuiuſmodi ſunt, Si homo eſt, animal eſt. Si ſmaragdus eſt, gemma eſt, Si fraxinus eſt, arbor eſt. Negans uerò, cuius cõiunctio negatur: Veluti. Non ſi aſinus eſt, homo eſt. Non ſi herba eſt, arbor eſt.

Coniunctio ſeu copulatum eſt, in quo particula copulandi adhibetur. Coniunctio affirmans uera eſt, ſi eius utraq; pars uera fuerit, falſa, ſi altera: Vt, & homo eſt, & aſinus eſt: Et mulier eſt, & garrula eſt: Et uir eſt & aſinus eſt. Negans falſa eſt, cuius aiens ue-

ra eſt. Veluti: Non & cœlum rotundum eſt, & immobile eſt. Vera, cuius aiens falſa eſt, ut: Non & animal eſt, & lignum eſt.

Diſiunctio ex duabus categoricis, particula diſiungendi interpoſita, conſtat. Cuiuſmodi eſt, Aut bonus eſt, aut malus eſt. Affirmans uera eſt, cuius uocabula ſeu termini ſic ſibi repugnant, ut uno poſito tollatur & alterum. Hic obſeruandum eſt in omni hypothetica enunciatione duo ſpectari, anteceßionem & conſecutionem. Anteceßio in hypothetica pronunciatione uel poſitione, uel natura primum locum obtinet. Eadem ratione conſecutio uel poſitione, uel natura ſequitur.

Altera diuiſio Enunciationum à qualitate.

Affirmans, qua aliquid affirmatur: ut, Deus eſt natura ſeu ſubſtantia. Negans, qua aliquid negatur: ut, homo non eſt candidus.

Tertia diuiſio à quantitate.

Vniuerſa ſeu generalis enũciatio eſt, cui ſignum uniuerſum ſubijcitur. Veluti: Oĩs homo eſt animal.

Specialis, uel quæ parti accõmodatur, eſt cui ſignũ ſpeciale præponitur: ut, Quidam lapis eſt pumex.

Infinita ſine ſignis profertur: ſed quãdo attributũ neceſſariò de ſubiecto, uel genus de ſpecie, ſpecies de indiuiduis, differentia uel propriũ de ſpecie, uel eã inferioribus, ut definitio de eo quod definitur, infinita cenſetur uniuerſa. Quando autem contingenter attributum de ſubiecto dicitur, ſpecialis indicatur.

Singu-

Singula, cuius ſubiectum eſt indiuiduum, uel nomē appellans cum pronomine demonſtrante. Ac hæc in argumentatione ſpecialis uim habet. His perſpectis & cognitis de diſcordia, compoſitione, conſecutione, reciprocatione enunciatorum diſputandum eſt.

Diſſentio enuntiaſionum.

Oppoſita ſeu contraria ſunt diſſenſiones enuntiationum, in quibus eadē ſubiecta & attributa manēt, qualitate, aut quantitate, aut altera tantummodo mutata. Eorum genera ſunt quatuor: Aduerſa, aduerſis cōtraria, contradicētia, hypallyla. Aduerſa ſunt, in quibus ſignum uniuerſum affirmans cum negante conſtituitur: ut, Omnis homo eſt fortis. Nullus homo eſt fortis. Nunquam hæc ſimul uera, ſed falſa in contingenti materia eſſe poſſunt.

Aduerſis contraria, in quibus ſignum ſpeciale aiens & negans collocatur: ut, Quidam rabula eſt iuſtus, Quidam rabula non eſt iuſtus. Ea ſic affecta ſunt, ut ſimul falſa, nunquam uera eſſe poßint.

Contradicētia ſeu diſparata, in quibus affirmans generale cum ſpeciali negante ponitur: ut, Omnis lapis eſt corpus: Quidam lapis non eſt corpus. Et generale negans cum ſpeciali affirmante: ut, Nullus lapis eſt corpus: Quidā lapis eſt corpus. Horum natura ex qualitatis mutatione pendet. Nam quorum alterū falſum eſt, alterum erit uerū: quorum uerò alterum uerum, alterum falſum.

Hypallyla ſunt ſpecialia, ex generalibus orta et col-

lecta. In eis ſpecialiū falſitatē falſitas generalium ſequitur, nō contrà. Velut: Omne uinū eſt Romanum: hæc uniuerſa pronunciatio falſa eſt, ſpecialis autem uera: Quoddam uinum eſt Romanum. Sed ut contrariorū uis & natura aliquāto meliùs cognoſcatur atq; percipiatur, tabulam ſubijcimus.

Aduerſa.

Omnis homo eſt animal. *Nullus homo eſt animal.*



Contraria aduerſis.

Quidā homo eſt animal. *Quidā homo nō eſt animal,*

Compoſitio & conſecutio diſsidentium pronunciatorum.

Quoniam autem opus eſt rebus diſcordibus conſenſione ac reconciliatione, qua componantur, & uelut in concordiā reuocētur, de cōpoſitione (quā ἰσο δυναμίαν uocant) dicendum uidetur,

ἰσο

ἰσοδυναμία eſt diſsidentium enunciationum reconciliatio,idq́; negationum uel antecedentium uel conſequentium ſigna beneficio: quod ne ignoretur, conſecutio addenda eſt,quæ ex negantiæ adiunctione æquipollentiam(ut ita loquar)metitur. Præpoſitio negantia contradicenti æquiualet, poſtpoſita aduerſæ, utrinq; collocata hypallylæ, quemadmodum ex uulgato uerſiculo intelligitur:

Præ contradic. poſt contra, præ poſtq́; ſubalter.

Etenim hæc negationis additione,detractione, gemi natione, & uerbis contrarijs conſtat. Vide Eraſmũ lib.Copiæ uerborum cap.24. Porrò conſecutio non ἰσοδυναμίᾳ eſt,ſed etiam in affirmatione ac negatione cernitur.

Reciprocatio.

Reciprocatio ſeu conuerſio eſt,terminorum enunciationis categoricæ ſubiecti & attributi tranſpoſitio,eaq́; tripartita eſt,Simplex,per accidẽs, per tranſpoſitionẽ.Simplex dicitur, in qua generalis negans in generalem negantem, ſpecialis affirmans in ſpecialem affirmantem tranſpoſitis terminis commutatur. Nam quod in prima pronunciatione conuertenda ſubiecti locum obtinet,id altera conuertente, attributi: ut,nullæ gallinæ ſunt beſtiæ, nullæ beſtiæ ſunt gallinæ,&c.Per accidens,in qua uniuerſa aiens in ſpecialem aientem, & uniuerſa negans in ſpecialem negantem tranſpoſitis terminis mutatur:ut Omnis cornix eſt auis: Quædam auis eſt cornix. Nulla

cornix eſt auis: Quædam auis non eſt cornix. Per-*tranſpoſitionem,in qua generalis affirmans in generalem affirmantem,ſpecialis negans in ſpecialem negantem mutatis terminis finitis in infinitos transformatur.* Eius generis ſunt: Omne animal eſt corpus. Quicquid *non eſt non corpus, non eſt non animal. Quoddam animal non eſt corpus:Quoddam non corpus non eſt non animal.*

Vtilitas enunciationum.

Enunciata *conferunt ad aptiſsimam argumentationum conſtitutionem dijudicandam.* Nam *ſingulæ ex pronunciatorum formis conflatæ ſunt,&* pro *materiæ diuerſitate uariant.* Deinde *ne ea,quæ accommodatiſsimè proponantur, pro ineptiſsimis habeantur,nec quiſquam ſcripturus in rebus dubijs uagetur, ſed certam tractandam propoſitionem,tanquam ſubiectum,præſcribat.*

Loci.

His iam utcunq; explicatis, ad locorum doctrinam deſcendimus, ut ea percepta & cognita,minori negocio argumentationes intelligantur. Itaq; *licet definire,Locum eſſe argumenti ſedem. Argumentum autem rationem, quæ rei dubiæ faciat fidem.Sed locorum, in quibus argumenta incluſa ſunt, alij dicuntur inſiti, alij extrinſecus aſsumpti.* In *eo ipſo, de quo agitur, inhærent, ſeu inſiti ſunt, quos diſputatoris diligentia à re ducit & ſumit: uel, ut* Ciceroni *in partitionibus oratorijs perplacet,* Inſita *ſunt,*

quæ

quæ infixa ſunt rebus ipſis, tum ex toto, tum ex partibus, tum ex notatione, tum ex ijs rebus, quæ quodammodo affectæ ſunt ad id, de quo quæritur. Et ad *id totum de quo diſſeritur, tum definitio adhibetur, tum partium enumeratio, tum notatio uerbi.* Ex *his autem rebus, quæ quodammodo affectæ ſunt ad id, de quo quæritur, alia coniugata appellantur, alia ex genere, alia ex forma, alia ex ſimilitudine, alia ex differentia, alia ex contrario, alia ex coniunctis, alia ex antecedentibus, alia ex conſequentibus, alia ex repugnantibus, alia ex cauſsis, alia ex effectibus, alia ex comparatione maiorum, aut parium, aut minorum.* Ii *autem extrinſecus aſſumuntur, qui ſine diſputatoris arte ac diligentia pariuntur, ut teſtimonium & auctoritas.* At *primùm ad inſitorum doctrinam accedemus: deinde ad aſſumptorum.*

Totum *non cadit in diſputationem, niſi definitione uis uniuerſa explicetur: ut,* Si *maieſtas eſt amplitudo ac dignitas ciuitatis, is eam minuit, qui exercitum populi* Romani *hoſtibus tradidit, non qui eum, qui id feciſſet, in* Populi Romani *poteſtatem tradidit.*

Totius *autem appellatione intelligitur aut generale, quod ſingulis ſuis partibus tanquam inferioribus uerißimè ineſt, atque de ſingulis dicitur affirmatè: aut terminus magis communis abſque determinatione, ratione ſuarum partium*

cum

cum determinatione non diminuente, & dicitur totum in modo, à quo ducitur argumentum neganter: à parte autem ad totum affirmanter: aut quantitas. Ex *quo illud, Quicquid attribuitur toti in quãtitate, uel remouetur ab eo, id attribuitur cuilibet parti uel remouetur: Rurſus Cuicunq; attribuitur uel remouetur ab eo totum in quantitate, attribuuntur uel remouentur ab eo etiam partes.* Huc *totũ integrale pertinet, ex quo argumentum depromitur affirmanter & neganter: nam poſito toto ponuntur partes, remoto & ſublato toto remouentur & partes.*

Definitio.

Definitio eſt duarum partium, quarum altera dialectica, altera Rhetorica. Rhetorica *aliâs deſcriptio nominatur, qua non oratores modò, ſed interdum etiam* Philoſophi *utuntur.* Dialectica *definitio eſt oratio, quæ id quod definitur explicat quid ſit, ſeu, quæ quaſi inuolutum euoluit id, de quo quæritur.* Eiuſq; *duo ſunt genera. Vnum earum rerum quæ ſunt, alterum earum quæ intelliguntur. Eſſe ea dico, quæ cerni tangiue poſſunt, ut fundum, ædes, parietem, ſtillicidium, mancipium, pecudem, ſupellectilem, penus, &c, quo ex genere quædam interdum nobis definienda ſunt.* Non *eſſe rurſus ea dico, quæ tangi demonſtrariue non poſſunt, cerni tamen animo atq; intelligi poſſunt, ut ſi uſucapionem, ſi tutelam, ſi agnationem definias, quarum rerum nullum ſubeſt quaſi corpus, eſt tamen quædam conformatio inſignita et im-*

preſſa

preſſa intelligentia.

Definitionis genera.

Definitio aut nominis, aut κατ' ἐτυμολογίαν, *aut rei. Nominis definitio notioribus ignotiores uoces interpretatur, ut ferire eſt percutere, digladiari certare, explodere, cum ſono ſeu clamore eijcere.* Definitio κατ' ἐτυμολογίαν, *dictionis uim in coniunctione poſitam declarat & exponit.* Eius generis ſunt. Rhetorica *eſt doctrina dicendi:* Dialectica, *ars differēdi:* Phyſiologia *eſt ſcientia, quæ diſputat de rerum natura.*

Definitio rei quadripartita eſt, aut οὐσιώδης, *aut* αἰτιώδης, *aut ab enumeratione partium, aut* κατὰ πρός τι. Etenim *quæ cum alijs conferuntur, præcipuè definitione aperiuntur.* Definitio οὐσιώδης *cuiuſque rei naturam generis & differentiæ adiumento explicat.* In *quo hæc difficultas ineſt, quòd permagna uerarum differentiarum inopia reperiatur.* Quamobrem *non inſcitè* Cicero *in* Topicis *ueterum ſententia præcipit ea ſumenda eſſe ad ueras differentias explendas, quæ ad nullam aliam rem transferantur:* Sic *igitur (inquit) ueteres præcinūt, cùm ſumpſeris ea, quæ ſunt ei rei, quam definire uelis, cum alijs communia, uſq; eò perſequi, dum proprium efficiatur, quod nullam in aliam rem transferri poßit, ut hoc,* Hæreditas *eſt pecunia: commune adhuc, multa enim genera ſunt pecuniæ: adde quod ſequitur, quæ morte alicuius ad quēpiam peruenit: nondum eſt definitio, multis enim modis ſine hæreditate teneri*

mortuorum pecuniæ poſſunt. Vnum adde uerbum iure, ac, nec ea aut legata teſtamento, aut poſſeßione retēta. In partitionibus oratorijs. ≈ Non dubium eſt id quidem, quin definitio genere declaretur, & proprietate quadam, aut ětiam communium frequentia, ex quibus proprium quid ſit eluceat. Sed quoniam de proprijs oritur plerunq; magna diſſenſio, definiendum eſt ſæpe ex contrarijs, ſæpe etiam ex dißimilibus, ſæpe ex paribus. Quamobrem deſcriptiones quoque ſunt in hoc genere ſæpe aptæ, & enumeratio cōſequentiū. Αἰτιώδης rei naturā accedente genere ac præcipuis caußis exprimit. De cauſſarum generibus uide infrà.

Definitio ab enumeratione partium, genus præcipuasq; totius partes cōplectitur. Definitio τῶ πρός τι, rei uim ac naturam cum eorum, quæ inter ſe comparentur, collatione aperit. Videndum eſt ut hic locus perſpicuis & planis uerbis exprimatur, non obſcuris, nec ambiguis. Ex quo illud Ariſtotelæum in extremo primi capitis, ſexto Topicorum: Sunt autem duæ partes eius rei, quæ non aptè definita eſt. Vna, ſi dubia & obſcura interpretatione utamur: debet enim is, qui rem definit, quàm poteſt apertißima interpretatione uti: quandoquidem cognoſcendæ rei cauſſa traditur definitio. Altera, ſi ad rem aliam definitio transferatur. Sic enim ſuperuacaneū erit, quicquid adiectum erit in ea definitione. Firmus hic locus eſt in probando & refellendo, quod tribus fieri

modis

modis Perionius ait: Vel rei præpoſitæ, id eſt, ſubie-ƈti, uel attributi, uel etiam utriuſq; definitione. Subieƈti: ut, fides eſt eorum, quæ expeƈtantur fundamentum & quaſi firmamentum, rerumq; earum quæ non uidentur argumentum ac demonſtratio. Attributi, ut, nemo noſtrum ſcit an ſit uiƈturus in craſtinum, aut poſterum diem. Vtriuſq; ſubieƈti & attributi definitione, ad quod quæritur docendum eſt, cùm utrum ſint aliqua, an diuerſa, quæritur.

Alia definitionum diſtributio.

Atque etiam definitiones, aliæ ſunt partitionum, aliæ diuiſionum. Partitionum, cùm res ea, quæ propoſita eſt, quaſi in membra diſcerpitur, ut ſi quis ius ciuile dicat id eſſe, quod in legibus, ſenatuſconſultis, rebus iudicatis, iuris peritorum auƈtoritate, ediƈtis magiſtratuum, more, æquitate conſiſtat. Diuiſionum autem definitio formas omnes compleƈtitur, quæ ſub eo genere ſunt, quod definitur.

Earum differentiæ.

In partitione quaſi membra ſunt, ut corporis, caput, humeri, manus, latera, crura, pedes, &c. In diuiſione formæ ſunt, Genus eſt notio ad plures differentias pertinens. Forma uerò

uerò eſt notio, cuius differētia ad caput generis quaſi fontem referri poteſt.

Ab enumeratione partium locus.

Enumeratio partium & ex toto percommodè intelligetur, ſi ea omnia, quæ Rodolphus *de partibus commemorat, percepta & cognita fuerint. Sunt autem partes aliæ rei conſtitutæ, aliæ conſtituendæ, aliæ ſubſtantiæ, aliæ quantitatis, aliæ qualitatis.* Itaq; *enumeratio nominatur, oratio qua totum in formas ſeu partes & membra diſtribuitur.* Eius *duo ſunt genera.* Eorum *quæ naturam rei attingunt, quæq; naturam non attingunt.* In *ijs quæ naturam rei attingunt, numerantur, diuiſio & partitio, quæ rem integram in partes ſeu membra diſcerpit.* Diuiſio *genus in formas uel differentias.* Partitio *integræ rei in membra, ut domus in fundamenta, contignationem & tectū:* Hominis *in corpus & animū:* Humani *corporis in carnem, oſſa, neruos.* Quæ *naturam non attingunt:* Diſtributio *& diſtinctio ambigui:* Diſtributio *ſubiecti in accidentia, accidentium in ſubiecta, ſeu in accidentia.* Diſtinctio *ambigui,* Vnius *uocis, ut canis:* Orationis*, ut Aio te Aeacida* Romanos *uincere poſſe.*

Enumerationis uſus.

Valet hic locus, ut Philoſopho *placet lib.* 2. Topicorum *& in confirmatione & in reprehenſione.* Confirmationis*, auctore* Perionio*, duplex eſt argumentum.* Nam *ex partibus per diſiunctiones aut totum concluditur, aut pars, unà infirmatis ac interemptis*

ptis cæteris. Prioris generis tale exemplum eſt. Si aut cenſu, aut uindicta, aut teſtamento liber factus eſt, eſt liber: Cenſu autem liber factus eſt: eſt igitur liber. Poſterioris generis eſt illud exemplum Ciceronis in 2. de Oratore. Aut ſenatui parendum de ſalute Reip. fuit, aut aliud conſilium inſtituendum, aut ſua ſponte faciendum. Aliud conſilium ſuperbum, ſuum arrogãs. Vtendum igitur fuit conſilio ſenatus. In refutatione etiam duobus modis hoc loco uti licet: nam uel per diſiunctiones ex partibus enumeratis, & omnibus infirmatis, uel diſiunctionibus prætermiſſis ex partium refutatione totum refellitur. Superioris generis illud exemplum Cicero. in oratione pro Flacco. In ærario nihil habent ciuitates, nihil in uectigalibus. Duæ rationes conficiendæ pecuniæ, aut uerſura, aut tributo, nec tabulæ creditoris proferuntur, nec tributi confectio ulla recitatur. Concluſionem ut perſpicuam reliquit. Poſterioris generis illud. Si neque candor & nigror, neque ualetudo & morbus, neque iuſtitia & iniuſtitia, neq; fortitudo & ignauia, neque alia eiuſdem generis eidem conuenire poſſunt: Non igitur aduerſa poſſunt eidem conuenire. Atque hæc quidem argumenta ducuntur ab earum partium enumeratione, quarum unaquæq; de toto uerè dicitur, cuiuſmodi ſunt formæ. Ab earum uerò partium enumeratione, quæ nõ ſingulæ, ſed ſolùm uniuerſæ in toto uerè dicuntur, ſumptum argumentum, in probando non per diſiunctiones, ſed coniunctiones ex-

plicatum ualet. In reprehendendo autem per negationes.

Notatio.

De huius loci appellatione mirabiliter politiſsimi quiq; & excellentiſsimi ſcriptores diſſentiunt. Etenim Rodolphus Agricola *libri primi de inuentione capite 22. nominat hunc locum, nomen rei,* Cicero *in* Partitionibus *oratorijs notationem, in* Topicis ἐτυμολογίαν*, id eſt ueriloquium,* Ariſtoteles σύμβολον, 2. Topicorum. *Porrò notationis nomine intelligitur uis uocabuli, ut: Si conſul patriæ conſulit:* M. Antonius *autem patriam euertit: non eſt ergò habendus conſul.* Ouidius 1. Metamorph.

Eſt uia ſublimis cœlo manifeſta ſereno,

Lactea nomen habet, candore notabilis ipſo. Non *hinc firma deprõmuntur argumenta, niſi uis uerbi, etiam rei, quæ eo ſignificatur conueniat. Neq; enim in eo uirtus ſeu bonitas confeſtim ineſt, qui* Bonus *aut* Agathus *dicitur.* Itaque *in diſputationes rariſsimè incidit, in orationes autem frequentiſsimè, præſertim ſi nomen ſeu notatio ſuſpicionis crimen ſuppeditet atq; adferat: quinetiam hic locus iocis plurimum deſeruit & accommodatur.*

Coniugata.

Coniugata ſunt, quæ ab una origine deducta uariè flectuntur. Cicero *in* Topicis: *Coniugata dicuntur, quæ ſunt ex uerbis generis eiuſdem. Eiuſdem autem generis uerba ſunt, quæ orta ab uno uariè com-*

commutantur, ut: Si pietati ſumma tribuẽda laus eſt, debetis moueri, cùm Q. Metellum tam piè lugere uideatis. Cicero in Piſonem: Cùm eſſet omnis cauſſa illa mea conſularis & ſenatoria, auxilio mihi opus fuerat, & conſulis, & ſenatus. Eius uſus non eſt exiguus in probando & refeliendo. Quod enim uni coniugatorum conuenit, aut non conuenit, etiam cæteris conueniat, aut non conueniat neceſſe eſt: Et cui unum coniugatorum conuenit, aut non conuenit, in id etiam neceſſe eſt conuenire, aut non conuenire.

Genus, et forma.

Ex ijs certè intelligitur, quid generis & formæ appellatione declaretur, quæ ſuprà explicauimus: nunc autem de ijs ita tantummodo dicemus, ut uia ex ijs argumentorum ducendorum aperiatur.

Genus ad refutandum ualet plurimum, ad confirmandum non item: quòd cuicunque genus conueniat, non ſtatim eidem & forma conueniat. Neque enim ſi uirtus eſt in quopiam, idcirco ea eſt temperantia. Fieri enim poteſt ut ſit iuſtitia, aut fortitudo, aut aliqua alia uirtus. Hoc autem accipitur in ijs ſolùm, quæ non omninò & uniuerſè dicuntur: quando enim ſic genus enunciamus, ut uniuerſam eius uim complectamur, quamlibet nobis ſpeciem ex eo licet concludere. Cicero 2. de oratore: Si omnes qui Reipub. conſulunt, chari nobis eſſe debent, certè

in primis imperatores, quorum conſilijs, uirtute, periculis retinemus & noſtram ſalutem, & imperij dignitatem.

Forma uerò ad cõfirmandum ualet: Quod in ſpecie, etiam in genere dicitur, ſed uidendum eſt ne ueri ſimilitudine fallamur. Quũ enim ex ſpecie, ad confirmandum genus, firmum eſſe argumentum dico, nõ ad totum genus uniuerſè concludendum ualere dico, ſed ſolùm indefinitè.

Similitudo.

Similitudo eſt diuerſarum rerum, duarum aut plurium ſimilis quædam affectio inter ſe. Et eſt aut ſimplex aut multiplex. Prioris generis ſunt pleræq; formæ. Interdum in ſimilibus nulla ſimilitudinis nota exprimitur. Cuiuſmodi ſunt: ut, quemadmodum, ſicut, ueluti, in prima parte, quæ protaſis appellatur: Sic, ita, non ſecùs, non aliter, eodem modo, in altera parte, quæ apodoſis nominatur. Aliquando etiam nomina quædã ſunt notæ ſimilitudinis. Cuiuſmodi ſunt, talis, qualis, more, inſtar, ritu, modo, exemplo, atque etiam ipſum nomen ſimile. Exemplum eius in quo nulla ſimilitudinis nota explicatur. Virgil. Eclog. 2.

O formoſe puer, nimium ne crede colori:
Alba liguſtra cadunt, uacinia nigra leguntur.

Interdum declaratur nota ſimilitudinis. Cicero in prima actione in Verrem: Sed repente eueſtigiò ex homine tanquam aliquo poculo Cyrceo factus eſt Verres. Actione 7. Vt ex illo metu mortis & tene-

brîs

bris, quaſi luce libertatis & odore legum recreatus reuixiſſet. Interdum protaſis & apodoſis eodem uerbo clauduntur. Cicero *Agraria* 1. *Nonne acerrimè tanquam hoſti armato, ſic huic legi pro ueſtris agris reſiſtetis? Interdum protaſis & apodoſis uerbis & clauſulis diſtinguuntur. Multiplex autem ſimilitudo ex pluribus ſimilibus aliquid ſimile declarat.* Cicero *in Topicis: Si tutor debet fidem præſtare, ſi ſocius, ſi cui mandaris, ſi quis fiduciam acceperit, debet etiam procurator. Hæc ex pluribus quò uult perueniens appellatur inductio. Valet autem in utranq; partem hic locus. Confirmando enim eam ob cauſam firmus eſt: quòd ſi in aliqua re ſimili ita res habeat, in cæteris etiam ſimilibus ita habeat neceſſe eſt. Refellendo autem: quòd ſi in aliqua re ſimili non ita res habeat, in alijs non ita habebit.*

Differentia.

Differentiarum uſus eſt, quum rerum cognatarum, hoc eſt, formarum eidem generi ſubiectarum diſcrimina ſint indicanda: quòd differentiæ diuidant genus in ſuas ſpecies. Ex hoc loco depromitur argumentum & affirmanter, & neganter: quanquam non deſint, qui confirment à ſpecie ad differentiam duci argumentum tantummodo affirmans, à differentia ad ſpeciem, negans.

Contraria.

Quoniam horum diſciplina peraccuratè intelligi poteſt ex ſuperioribus, nihil nos de ijs dicemus aliud,

quàm argumentorum ex his promendorũ doctrinam memoria tenendam eſſe. Nam uno eorum quæ cum alijs conferuntur affirmato uel refutato, affirmatur aut refutatur alterum. A quo ſecluduntur atque ſecernuntur ea, in quorum altero ineſt ampliatio quædam. Porrò ab unius aduerſi affirmatione ad alterius negationem percommodè ſumitur argumentum: ab negatione ad affirmationem non item: quoniam aduerſa medium admittentia mirabiliter uariant. A Priuantium uerò affirmatione ad negantiam perbellè trahitur argumentum: In quo uidendum erit, an ſubiectum aptum ſit ad id capiendum, cuius deſiderio tenetur, & tempus à natura tributum adſit. Contradicentia ualent in utranque partem, ſed uno confirmato, refellitur alterum, & contrà: in quo curandum eſt, ne quis arbitretur in ijs ueritatem aut falſitatem concurrere.

Adiuncta.

Adiunctorum appellatione intelliguntur περιστάσεις, contingentia, applicita: quorum locus maxima ex parte oratorius eſt, non modò non iuriſconſultorum, ſed ne Philoſophorum quidem. Magis autem ad coniecturales cauſſas, quæ uerſantur in iudicijs, ualet, cùm quæritur quid aut ſit, aut euenerit, aut futurum ſit, aut quid omnino fieri poſsit: ac loci quidem ipſius forma talis eſt. Admonet autem hic locus, ut quæratur, quid ante rem, quid cum re, quid poſt rem euenerit. Verumenimuerò ante rem quæruntur,

appara-

apparatus, colloquia, locus, conſtitutum conuiuium. Cum re autem, pedum crepitus, ſtrepitus hominum, corporum umbræ, & ſi quid eiuſmodi. At poſt rem, rubor, pallor, titubatio, & ſi qua alia ſigna conturbationis & conſcientiæ: præterea reſtinctus ignis, gladius cruentus, cæteraq́; quæ ſuſpicionem facti poſſunt mouere.

Locus ex antecedentibus, et conſequentibus, et repugnantibus.

Antecedentia Cicero 2. de oratore appellat præcurrentia, quæ rem neceſſariò antecedunt, uelut iuſtitia uirtutem, iniuſtitia uitium. Conſequentia uerò rem neceſſariò conſequuntur, in quo genere eſt, totius uirtutis interitum ſequitur iuſtitiæ interitus: Ac hæc à Cicerone 2. de oratore nominantur conſentanea. Repugnantia autem nunquam cohærent cũ re. Horum trium extremus locus ex repugnantibus difficillimè intelligi diſtinguíque poteſt, quòd ſuperiora duo, antecedentia & conſequentia, cùm in formis & generibus, tum in contrarijs, ſpectentur atque conſiderentur: Repugnantia autem latiſſimè fundantur & manent per omnes ferè argumentorum locos. Profectò hic locus & in cõfirmatione, & in confutatione ualet, quòd cuicunque antecedens conueniat, ei etiam id quod conſequitur conueniat neceſſe ſit. Si quod cõſequens in rem aliquam cadat, in eam etiam id, quod antecedit, cadere opor-

teat: Si duobus propoſitis repugnantibus alterum rei conueniat, repugnat conuenire alterum. Et contrà: *Cui non conuenit antecedens, ei nec conſequens conuenit: Cui rei conſequens non connenit, eidem nec antecedens conuenit: Cui non conuenit unum repugnantium, eidem & alterum repugnat conuenire.*

De cauſſis.

Cauſſa eſt cuius ui aliquid eſt, uelut finis, efficiens, forma, materia. Finis *cuius gratia aliquid fit.* Cicero *in legibus finem bonorum ait eſſe, quò referuntur, & cuius cauſſa ſunt facienda omnia.* Pro Ligario: *Quid enim Tubero tuus ille diſtrictus in acie Pharſalica gladius agebat? cuius latus ille mucro petebat? qui ſenſus erat armorum tuorum? quæ tua mens? oculi? manus? ardor animi? quid cupiebas? quid optabas? Nimis urgeo, commoueri uidetur adoleſcens, ad me reuertar.* Iiſdem *in armis fui. Quid autem aliud egimus Tubero, niſi ut quod hic poteſt nos poſſemus?* Ac *hæc omdium præſtantiſsima eſt, ad quam cætera cauſſarum genera reuocantur, quòd adepto fine, reliqua earundem genera obtineamus.*

Forma *eſt cauſſa per quam unaquæque res eſt id, quod eſt, & à cæteris diſtinguitur rebus:* Cuius *generis eſt:* Hominis *forma, animus rationis & cogitationis particeps.* Ab *huius cauſſæ diſſpoliatione chaos deſcribitur primo* Metamorphoſeos: *Ante ma*

re

re & terras, & quod tegit omnia cœlum, &c.

Eius officium in duobus cernitur, quorum alterum exigit ut rem reformet, ut ſic in natura defendat, ut ea ſublata prorſus res ipſa immutetur: alterum, ut rem, cuius eſt forma, à reliquis rebus diſtinguat, quòd ſuis quæque res formis diſtinctæ atque diſcretæ ſint, quarum aliæ ſub ſenſum cadunt, aliæ ſolo animo & cogitatione comprehenduntur. Interim fac recordere, aliquando in nonnullis rebus multò meliùs formam intelligi, quàm uerbis exprimi poſſe, uelut in ædificijs, oſtij feneſtræ, tecti, parietis: rurſum in nonnullis perdifficulter, aut intelligi, aut exprimi poſſe, quòd rerum naturalium formæ à nobis ignorentur:

Efficiens cauſſa eſt, quæ rei efficiendæ operam præbet. Eius diſtributio uaria eſt. Nam aut eſt perfecta & adiuuans, aut procreans & conſeruans, aut conſilij particeps & expers.

Proinde perfecta nominatur, quæ ſola per ſe rem efficiat. Cuiuſmodi ſunt: Ouidius:

Quæritur Aegiſtus quare ſit factus adulter:
In promptu cauſſa eſt, deſidioſus erat.

Cicero in Catone:

Senectus caret epulis extructiſq; menſis, et frequentibus poculis: Caret ergo, & uinolentia, & cruditate, & inſomnijs.

Adiuuans appellatur, quòd ſola non efficiat, ſed aliam adiuuet, ſeu ab alia adiuuetur: quo in genere

ſunt, inſtrumenta, miniſtri. Martialis:

Vitam quæ faciunt beatiorem,
Iucundiſsime Martialis, hæc ſunt:
Res non parta labore, ſed relicta.
Non ingratus ager, focus perennis:
Lis nunquam, toga rara, mens quieta:
Vires ingenuæ, ſalubre corpus:
Prudens ſimplicitas, pares amici:
Conuictus facilis, ſine arte menſa.
Nox non ebria, ſed ſoluta curis:
Non triſtis torus, attamen pudicus.
Somnus qui faciat breues tenebras:
Quod ſis eſſe uelis, nilq; malis:
Summum nec metuas diem, nec optes.

Adiuuanti cauſſæ ſubijciũtur duæ partes, imperãs & obſequens. Imperans ad efficiendũ obtinet principem locum, ut in Republica ſummus magiſtratus. Obſequens autem eſt uelut adminiſtra, ut in ciuitate iudices, cauſidici, Medici, milites, & reliqui ciues, ſtatum reipublicæ adiuuant.

Procreans uerſatur in re, quæ necdũ eſt, gignenda. Conſeruans uerò in re iam effecta ſub ſuo ſtatu retinenda. Prioris generis ſunt parentes, à quibus procreati & generati ſumus. Cicero in Piſonem: O familiæ non dicam Calphurniæ, ſed Caluentiæ: neq; huius urbis, ſed Placentini municipij: neq; paterni generis, ſed Bracchatæ cognationis dedecus. Pro Murena: Pater fuit equeſtri loco, auus nulla illuſtri laude celebra-

celebratus. Ex quo Cicero concludit, Seruium Sulpitium non eſſe prole nobilem. Virg. Eclog. 3.

—Pocula ponam
Fagina, cælatum diuini opus Alcimedontis.

Conſeruantes cauſſæ ſunt, quæ factæ rei ſtatum defendunt, ut, leges, iudices, magiſtratus rerum publicarum. Pro Cluentio: Hoc uinculum eſt huius dignitatis, qua fruimur in Republica, hoc fundamentum libertatis, hic fons æquitatis, mens, & animus, & conſilium, & ſententia ciuitatis poſita eſt in legibus. Vt corpora noſtra ſine mente, ſic ciuitas ſine lege, ſuis partibus, ut neruis & ſanguine & membris uti non poteſt.

Ad conſilij participes cauſſas pertinent ij, qui certa deliberatione utantur ad agendum, uelut, Deus, Angelus, Homo. Ad conſilij autem expertes, res naturales animatæ & inanimatæ. Porrò conſilij expertium aliæ naturales, aliæ coactæ, aliæ fortuitæ.

Naturales, cùm eæ res, in quibus nec ratio nec conſilium inſit, ad euentus ſuos, cohibeant in ſe efficientiam naturalem. Virgil. lib. 1. Aeneid.

Incubuêre mari, totumq́; à ſedibus imis
Vnà Eurusq́; Notusq́; ruunt, creberq́; procellis
Africus: & uaſtos tollunt ad littora fluctus. Ac his

cauſſis naturalibus natura inſeuit efficiēdi principiū.

Coactæ, cùm ui, aut humana, aut diuina, aut quauis denique externa cogitur & impellitur efficiens ad effectū. Atq; hæ extrinſecus accipiunt, ita tamē ut ad

effectum

effectum producendum, uelint nolint, cogantur. Humana, *ut* Virgilius Ecloga 1.

Quid facerem? neq; ſeruitio me exire licebat.

Diuina, *ut* Cicero *pro* Ligario : *At mihi quidem ſi proprium & uerum nomen noſtri mali quæratur, fatalis quædam calamitas incidiſſe uidetur, et improuidas hominum mentes occupauiſſe: ut nemo mirari debeat humana conſilia diuina neceßitate ſuperata.* Philippica *ſexta: Fuit fatalis, ut ita dicã, caſus quem tulimus, quoquo modo ferendus: nunc ſi quis erit uoluntarius, populum Romanũ ſeruire fas non eſt, quẽ dij immortales omnibus gẽtibus imperare uoluerũt.*

Fortuitæ, quibus tribuitur quicquid expers conſilij inopinato aliquo caſu contigerit. Cicero *lib. 2. de* Diuinatione: *Quid aliud ſors, quid fortuna, quid caſus, quid euentus, niſi cùm ſic aliquid euenit, ut uel non cadere atque euenire, uel aliter cadere & euenire potuerit?*

Materia.

Materia, ex qua res eſt, uel ex qua aliquid fit, ut domus materia lapides, arena, ligna, cæmenta. Naues *faciendæ ſunt, ut* Vegetio *placet, ex cupreſſo, aut pinu domeſtica, aut ex larice ſylueſtri, aut abiete, ex æreis clauis potiùs quàm ferreis.*

Effecta.

Coniunctus (ut eſt apud Ciceronem in Topicis) *huic cauſſarum locus ille eſt, qui efficitur ex cauſis.* Vt *enim cauſſa effectum indicat, ſic quod effectũ eſt,*

quæ

quæ fuerit cauſſa,demonſtrat. hic locus ſuppeditare ſolet Oratoribus & Poëtis,ſæpe etiam Philoſophis, ſed ijs,qui ornatè & copioſè loqui poſſunt, mirabilē copiam dicendi,cùm denunciant,quid ex quaq; re ſit futurum.Cauſſarum enim cognitio,cognitionem euē-torum facit.Publius Clodius ſacra bonæ Deæ polluit, Ciceronem Roma eiecit:domum eius incendit: cædē multorum ciuium in foro fecit:templū nymphãrum combuſsit.Lucius Piſo conſul Ciceronem Clodio prodidit & uendidit:in Macedonia exercitum amiſit: ſocios uexauit crudeliter: amarè,libidinoſè uixit.Catilina adoleſcens iuuentutem Romanam corrupit: in exitiū patriæ coniurauit.Ex hoc autem cauſſarum loco dupliciter argumentamur:nam firmum eſt augumentum in ijs cauſsis quæ aliquid neceſſariò efficiunt, in refutatione non item,ſed in ijs demum quæ ſic aliquid ſola efficiunt, ut cauſſa alia nulla idem ſaparatim efficere poſsit. Atque hæc cauſſarum diſciplina demonſtratori perneceſſaria eſt, & tertiæ locupletandi dilatandiq; ſermonis rationi perutilis.

Reliquus eſt comparationis locus,cuiu s genusnūc explicandū eſt.Comparãtur igitur ea, que aut maiora,aut minora,aut paria dicũtur, in quibus ſpectãtur hæc,numerus, ſpecies, uis,quædã etiã ad res reliquas affectio.Numero ſic cõparabũtur,ut plura bona paucioribus bonis anteponantur, pauciora mala malis pluribus,diuturniora bona breuioribus,longè & latè peruagata,anguſtis,ex quibus plura bona propagentur,

gentur, quæq; plures imitentur & faciant. Speciè autem comparantur, ut anteponãtur, quæ propter ſe expetẽda ſunt ijs, q̃ propter aliud: et ut innata et inſita aſſumptis & aduenticijs: integra cõtaminatis, iucunda, minùs iucundis: honeſta ipſis etiam utilibus, procliuia laborioſis, neceſſaria non neceſſarijs, ſua alienis, rara uulgaribus, deſiderabilia ijs quibus facilè carere poßis, perfecta inchoatis, tota partibus, ratione utentia rationis expertibus, uoluntaria neceſſarijs, animata inanimatis, naturalia non naturalibus, artificioſa non artificioſis. Vis autem in comparatione ſic cernitur, efficiens cauſſa grauior, quàm non efficiens: quæ ſeipſis cõtẽnta ſunt meliora, quàm quæ egent alijs: quæ in noſtra, quàm quæ in aliorum poteſtate ſunt. Affectio autem ad res aliquas eſt huiuſmodi: principum commoda maiora, quàm reliquorum, itemq; quæ iucundiora, quæ pluribus probata, quæ ab optimo quoq; laudata. Atque ut hæc in comparatione meliora, ſic deteriora, quæ ijs ſunt contraria. Parium autem comparatio nec elationem habet nec ſubmißionem: eſt enim æqualis.

Hæc de inſitis, nunc ad extrinſecùs aſſumpta tranſcundum eſt: quæ in teſtimonio uerſantur. Teſtimonium autem nunc dicimus omne, quod ab aliqua re externa ſumitur ad faciendam fidem. Perſona autem non qualiſcunque teſtimonij pondus habet: ad faciendam enim fidem auctoritas quæritur. Sed auctoritatem, aut natura, aut tempus affert. Naturæ auctoritas

ritas in uirtute ineſt maximè. In tempore autem mul ta ſunt quæ afferant auctoritatē, ingenium, opes, ætas, fortuna, ars, uſus, neceßitas, concurſio etiā nonnunquàm rerum fortuitarum. Porrò teſtimoniorum genera ſunt: Diuinum, & humanum. Diuinum, ut, oracula, ut auſpicia, ut uaticinationes, & reſponſa ſacerdotum, aruſpicum, coniectorum. Humanum, quod ſpectatur ex auctoritate, & ex uoluntate, & ex oratione, aut libera, aut expreſſa: in quo inſunt ſcripta, pacta, promiſſa, iurata, quæſita, præiudicata, rumores: Ac hic locus ad confirmandū ualet, an etiā ad refellendū, ætatis ſpacio probatis iudicandū relinquo.

LIBER SECVNDVS.

QVoniam ſatis abūdanter in ſuperiori libro demonſtratum eſt, quemadmodum inueniendi doctrina (quæ non temerè cum illa arte confertur, quam Mnemonicam conſeruandæ memoriæ cauſſa ueteres finxerunt, quòd ut hæc certis locorum, quaſi regionibus deſcriptis, confictisq; rerum memoriæ effingendarum ſimulacris longā orationem ordine quodā animo ſubijcit: ſic illa profectò communibus argumentorum uel ſedibus notatis, uel ſignis defixis eam ſtudioſis facultatem ſuppeditat, cuius beneficio & uia expedita, & certo ordine uniuerſam rerum cognatarum ſupellectilem comportent, unde quæſtionis in utranq; partem comprobandæ argumenta mutuentur)

tur) tractanda ſit: nunc ad iudicandi ſcientiam, in qua argumentatio uerſatur, deſcendimus.

Argumentationum genera Eraſmus *in copia uerborum cap. 62. diſpartit ac diuidit in octó.* Ratiocinationem, Enthymema, *inductionem, exemplum*, Soriten, *dilemma, uiolationem, enumerationem*. *Nonnulli contrà tantummodo quatuor conſtituunt argumentationum genera.*

Ratiocinatio *triplex eſt, aut categorica, at hypothetica, aut epideictica: de quibus ordine perpauca dicentur.*

Categorica *ratiocinatio eſt oratio, in qua quibuſdam poſitis, at conceßis, aliquid aliud, ob eam cauſſã, quia ſunt, neceſſariò efficitur: hoc eſt, ratiocinatio categorica eſt oratio, in qua duabus enunciationibus aptiſſimè collocatis & conceßis, complexio ſeu concluſio neceſſaria efficitur.* Categorica *uerò ratiocinatio bipartita eſt: aut enim perfecta, aut imperfecta eſt.* Perfecta *tam euidentem & perſpicuam habet concluſionem, ut nullius probationis indigeat.* Imperfecta *autem unius aut plurium indiget.* Quinetiam *ratiocinationis bonitas ex materiæ ac formæ collocatione intelligitur.* Ad *materiam* ὅροι *(quos* Perionius *& uerba & nomina appellat) ac enunciationes pertinent.* Ad *formam uerò principia, ut uocant, formalia, figura, modus.*

De Terminis.

Verba, *uulgò termini, tria in ratiocinatione conſideran-*

ſideran-

ſiderantur: Maius, Minus, Medium. Maius ſeu primum, in prima pronunciatione collocatur; Minus in altera tantùm, Medium utrinque. Ex qua partitione pronuntiationes appellationem induunt eiuſmodi, ut maiores, ut minores, ut mediæ nominentur.

De numero Enunciationum.

Ad ratiocinationis conſtitutionem duo enunciata & complexio reuocantur, quemadmodum ex inferioribus percommodè tota hæc diſciplina intelligetur.

Canonica principia.

Regularum appellatione intelliguntur præcepta in omni ratiocinatione obſeruanda: quæ in quatuor genera funduntur atque diuiduntur: Vnum,

In omni ratiocinatione præmiſſarum altera uel utraque erit affirmans: 2. Altera uel utraque erit generalis uel uniuerſa; 3. Concluſionem deterior pars ingreditur: 4. Medium nunquam in concluſione locũ habet. His adiungitur quinta regula: Omnis ratiocinatio aut de omni, aut de nullo dicitur neceſſariò. Dici autem de omni, nihil aliud eſt, quàm nihil ſub maioris præmiſſæ ſubiecto ſumere in minore, de quo attributum maioris præmiſſæ non dicatur in concluſione: Dici uerò de nullo eſt, quando nihil ſub maioris præmiſſæ ſubiecto in minore ſumitur, à quo attributum maioris in concluſione non remoueatur.

Figuræ officium eſt ordinem in conferendis uocabulis adoleſcenti præſcribere: quòd figuræ appella-

tione cõprehendatur legitima et aptiſsima medij uerbi ſeu termini collocatio: eaq; eſt triplex. Aut enim mediũ in maiore ſubiectum eſt, in minore attributũ. Aut mediũ in maiore ac minore attributũ eſt: Aut medium utrinq; ſubiectũ eſt. Quarũ prima propter accuratiſsimã perfectionẽ à Philopono, *Ariſtotelis interprete, cum animo, ſecunda cum natura, tertia cum materia comparatur.*

De modis.

Modus eſt duarum enunciationum in debita conuenienteq; qualitate ac quantitate collocatio. Non negligendum eſt, diſpoſitionis genera & modos cohærere, quemadmodum genera & ſpecies.

Primæ formæ ſeu figuræ duplex in conferendis terminis ordo attributus eſt: directus & nõ directus. Quatuor modi huius formæ directò concludunt:

Barbara, Celarent, primæ, Darij, Ferioq;.

Reliqui quinq; non directò:

Baralipton, Celantes, Dabitis, Fapeſmo, Friſeſmorum. Directò concludere eſt minorẽ ſubiecti loco, et maiorẽ prædicati uice in cõcluſione cõſtituere. At uerò non directò, maiorẽ ſubiecti loco, et minorẽ prædicati uice collocare. Secũdæ, totidẽ directò cõcludẽtes:

Ceſare, Cameſtres, Feſtino, Baroco, Secundæ.

Tertiæ, ſex:

Darapti, Felaptõ, Diſamis, Datiſi, Bocardo, Feriſõ.

Singuli modi ſuæ formæ ſunt iudices conſtituendæ ratiocinationis. Porrò enunciationum affectio ex modo-

modorum literis perſpicitur:

Aſſerit A, negat E, quæ repperit omnia poſt ſe,

Aſſerit I, negat O, ſed particulariter ambo. Hoc eſt, A requirit enunciationem generalem & affirmantẽ: E contrà negantem: ſed I ſpecialem affirmationem. O negantiam. Quod ut magis perſpicuum ſit, exemplis commonſtrandum eſt.

Primi ſchematis paradigmata.

Bar *Omnis arbor eſt corpus.*
ba *Omnis pinus eſt arbor.* Ergo
ra *Omnis pinus eſt corpus.*
Ce *Nulla uirtus eſt uitium.*
ſa *Omnis iuſtitia eſt uirtus.* Ergo
re *Nulla iuſtitia eſt uitium.*
Da *Omnis ſcurra eſt malitioſus.*
ri *Quidam circumcellio eſt ſcurra.* Ergo
i *Quidam circumcellio eſt malitioſus.*
Fe *Nullus lapis eſt arbor.*
ri *Quædam gemma eſt lapis.* Ergo
o *Quædam gemma non eſt arbor.*

Hæc de directò concludẽtibus primæ formæ, nunc de non directò dicendum erit.

Ba *Omnis caſtitas eſt uirtus.*
ra *Onmis uirginitas eſt caſtitas.* Ergo
lipton *Aliqua uirtus eſt uirginitas.*
Ce *Nullum peccatum eſt in laude.*
lan *Omnis temulentia eſt peccatum.* Ergo
tes *Nihil quod eſt in laude, eſt temulentia.*

Da	*Omnis uirtus eſt habitus.*	
bi	*Quædam fortitudo eſt uirtus.*	Ergo
tis	*Quidam habitus eſt fortitudo.*	
Fa	*Omnis lapis eſt ſubſtantia.*	
pe	*Nulla ulna eſt lapis.*	Ergo
ſmo	*Quædam ſubſtantia non eſt ulna.*	
Fri	*Quidam lacertus eſt ſerpens.*	
ſe	*Nulla anguilla eſt lacertus.*	Ergo
ſmorum	*Quidam ſerpens non eſt anguilla.*	

Hic medium in affirmantibus modis propoſitioni ſeu maiori, ac aſſumptioni ſeu minori ſemp er conuenit. In negantibus à maiore ſemper remouetur, quanquam in non directò concludētibus aliter fiat: Locus *autem ex quo argumentandi genus depromptum eſt, ex medij affectione perſpicitur atq; cognoſcitur.*

Secundi Schematis paradigmata.

Ce	*Nulla libido eſt uirtus.*	
ſa	*Omnis pietas eſt uirtus.*	Ergo
re	*Nulla pietas eſt libido.*	
Ca	*Omnis aſſer eſt lignum.*	
me	*Nullus lapis eſt lignum.*	Ergo
ſtres	*Nullus lapis eſt aſſer.*	
Fe	*Nullus iuſtus eſt corruptor iuuentutis.*	
ſti	*Quidā pædagog⁹ eſt corruptor iuuētutis.*	Ergo
no	*Quidam pædagogus non eſt iuſtus.*	

Ba Omnis futilitas eſt uicium.
ro Quædam honeſtas non eſt uicium. Ergo
co Quædam honeſtas non eſt futilitas.

In Ceſare & Feſtino medium eſt alienum à maiori: in Cameſtres & Baroco à minori.

Tertij Schematis paradigmata.

Da Omnis ſuperbia oritur ex ſecundis rebus.
ra Omnis ſuperbia habet calamitoſos exit⁹. Ergo
pti Quidam calamitoſi exitus oriuntur ex ſecundis rebus.

Fe Nulla iuſtitia eſt uicium.
la Omnis iuſtitia eſt uirtus. Ergo
pton Quædam uirtus non eſt uicium.

Di Quædam linea eſt ulna
ſa Omnis linea eſt longitudo. Ergo
mis Quædam longitudo eſt ulna.

Da Omnis uirtus ornat uiros,
ti Quædam uirtus eſt fortitudo. Ergo
ſi Quædam fortitudo ornat uiros.

Bo Quoddam ſcelus non eſt in bonis.
ca Omne ſcelus eſt abominabile. Ergo
rdo Aliquid abominabile non eſt in bonis.

Fe Nulla auaritia eſt deo grata.
ri Quædam auaritia eſt cupiditas habendi. Ergo
ſon Quædam cupiditas habendi non eſt deo grata.

Quoniã ſuprà medij mentio facta eſt, illud ipſum aliquanto altius repetendum duxi: ut res ipſa euidentior fiat, & omnium oculis ſubijciatur. Quod igitur Rhetoribus argumentum, id ipſum Dialecticis medium nominatur. Eſt ſanè utriuſque, hoc eſt, argumenti & medij officium, quæſtioni propoſitæ facere fidem: quòd medium ſit uerbum illud commune, in quo uelut regula propoſitionis dubiæ utrunque uerbum, ſubiectum & attributum legitimè confertur. Porrò hæc uox diſſerenti adfert id, quod fabro regula. Nam ſicut faber, corporum, quæ ob pondus ipſa mutuò conferri nequeunt, adhibita regula æqualitatem, uel inæqualitatem deprehendit: ita ſtudioſus etiam adoleſcens diſſerendo dubiæ propoſitionis terminos, ſubiectum & attributum tertio metitur uocabulo: explorans qua conditione uel conſentiant, uel inter ſe pugnent. Quare tanquam regula, quæ alteri, ut minimum, corporum accommodata ſit, uſurpanda eſt: eadem ratione in controuertendo uox illa, quæ tanquam fidei faciendæ inſtrumẽtum adhibetur, eiuſmodi deligatur oportet, quæ ut minimum cùm probãdæ quæſtionis termino cõſentiat. Medij ſeu tertij conditiones ſunt tres: quarum prima eſt. Cauendum eſt ne terminus medius deligatur huiuſmodi, qui quaſi regula Lesbiæ incertum uariumq; præbeat dimenſionis uſum, ſed ſub eodem ſenſu in omni collocatione uſurpetur. Nam cùm Dialectica uerum docendi diſcendiq; rationem profiteatur, ab ambiguis ſibi tẽperet

neceſſe

neceſſe eſt, neq; polyſemis utatur, niſi ad certam ſignificationem definitione grammatica tranſlatis, ac præſertim in ſyllogiſtica connexione ambiguitas ſermonis eſt fugiẽda, ne, dũ ratiocinatio ex tribus terminis conſtetur atq; conficiatur tantũmodo, ex quatuor cõſtituatur: Ex quo cõplexionis neceßitas amittitur.

Altera lex medij eſt, ut ſit uox communis. Nullus enim ratiocinationis modus, hoc eſt, forma conſtat ex medio indiuiduo: Tertia lex exigit affinitatem et cognationem affirmãtis collectionis cum utroq; termino, negantis contrà cum alterutro probandæ quæſtionis uerbo. Atq; hæc de ratiocinationum conformatione, nunc ad imperfectarum reuocationem ſeu reductionem deſcendimus.

Reductio traducitur ad conuerſionem, ad tranſpoſitionẽ, ad incommodum, ſeu ad id quod fieri nequit.

Conuerſio ex ſuperioribus percommodè perſpicitur atq; cognoſcitur. Tranſpoſitio autem fit quando præmiſſæ locum mutãt, hoc eſt, ex maiori fit minor, ex minori fit maior. Et huic ſemper conuerſio adiuncta eſt: Hoc ut aptißimè perficiatur, peraccuratè uidendũ eſt ut conſonantes modis cõprehenſæ memoria teneãtur: cui præclarißimè conſuletur, ſi uulgatißimorum uerſuum uis & natura non negligatur:

Barbara. Bar. boc. Cel. Cam. Ceſ. abſoluere debet,
Dar. Darij, Diſ. Dat. Ferio, Fel. Feſtq;, Feriſon.
S uult ſimpliciter uerti, P uerò per acci.
M uult tranſponi, C per impoßibile duci.

Reductio διὰ τοῦ ἀδυνάτου efficitur, quando ſumitur concluſionis contraria uel contradicens cum altera præmiſſarum conceſſa, & infertur contraria uel contradicens alterius conceſſæ. Eſtq; inuenta ad pertinaciam & proteruiam aduerſariorum contundendam atq; opprimendam, qui plerunque adeò ſtupidi & præfracti ſunt, ut apertiſsimis ueriſsimisq; cauſsis obluctentur & obſiſtant. Primum diſpoſitionis genus, quoniam duos modos negationi accommodat, in reductionem incidit. Primæ formæ reductio ab incommodo, ſeu ab eo quod fieri nequit.

Celarent ad Barbara reuocatur concluſionis contrarietate ſumpta loco maioris, & priſtina maiore loco minoris, hoc modo:

Ce	Nullus color eſt animal.	
la	Omnis ceruſſa eſt color.	Ergo
rent	Nulla ceruſſa eſt animal.	
Bar	Omnis ceruſſa eſt animal.	
ba	Omnis color eſt ceruſſa.	Ergo
ra	Omnis color eſt animal.	

Ferio ad Darij reuocatur, ſumpta contradicente loco maioris, & priſtina maiore loco minoris.

Fe	Nulla arbor eſt aſinus.	
ri	Quædam pirus eſt arbor.	Ergo
o	Quædam pirus non eſt aſinus.	

Da Omnis pirus eſt aſinus.
ri Quædam arbor eſt pirus. Ergo
i Quædam arbor eſt aſinus.

In ſecundæ & tertiæ collocationis reuocatione directò rem probante, initiales modorum literæ ſpectantur: ut ſingula aptè ad ſuum primæ diſpoſitionis modum reuocentur. Vtraq; forma incommodo urgendo reuocatur ad primam, idque in ſecunda, maiore relicta, minore autem uariata, in cuius locum concluſionis contraria uel contradicens ſuccedit, tametſi contraria rariùs. In tertia uerò, minore relicta, maiore mutata, cuius loco cocluſionis contraria enunciatio uel contradicens ſumitur. Hæcq; reductio aliquanto difficilior eſt, quàm ea, quæ ſtatim, & recta fronte rem monſtrat: quòd hæc ex initialibus modorum literis, ut dictum eſt, ſuam reductionem metiatur, illa non item. Nam concluſionis contradicens ſeu contraria, altera præmiſſarum ſeruata, demõſtrat ad quem primæ diſpoſitionis modum referatur. Ergo primus modus ſecundæ, ad quartum primæ, ſecundus ad tertium, tertius ad ſecundum, quartus ad primũ. Tertiæ diſpoſitionis modi ſic reuocantur ad primæ formæ modos. Darapti ad Celarent, Felapton ad Barbara, Diſamis ad Celarent, Datiſi ad Ferio, Bocardo ad Barbarà, Feriſon ad Darij. Ac tota hæc doctrina his uocibus declaratur, Odiebam, quo quatuor modi ſecundæ diſpoſitionis denotantur: Lætare Romanis, quo ſex modi tertiæ reuocandi, ad quos pri-

mæ formæ modos.

Paradigmata ſecundæ formæ.

Ce *Nulla ueſtis eſt lignum.*
ſa *Omnis aſſer eſt lignum.* Ergo
re *Nullus aſſer eſt ueſtis.*

Maior ἁπλῶς *retrò commeat.*

Ce *Nullum lignum eſt ueſtis.*
la *Omnis aſſer eſt lignum.* Ergo
rent *Nullus aſſer eſt ueſtis.*

Ad incommodū aduerſarium compelles, ſi concluſionis diſparatū relicta maiore loco minoris ſumas.

Fe *Nulla ueſtis eſt lignum.*
ri *Quidam aſſer eſt ueſtis.* Ergo
o *Quidam aſſer non eſt lignum.*

Cam *Omnis bos eſt animal.*
eſt *Nullus lapis eſt animal.* Ergo
res *Nullus lapis eſt bos.*

Maiore tranſpoſita, minore reciprocata & conuerſa ἁπλῶς *reuocatur ad primæ diſpoſitionis modum ſecundum.*

Ce *Nullum animal eſt lapis.*
la *Omnis bos eſt animal.* Ergo
rent *Nullus bos eſt lapis.*

Cameſtres ex eo quod fieri non poteſt reuocatur ad tertium modum primæ formæ, ſumpta cōtradicente concluſionis, loco minoris.

Da Omnis bos eſt animal.
ri Quidam lapis eſt bos. Ergo
i Quidam lapis eſt animal.

Fe Nulla maledicentia eſt uirtus.
ſti Quædam ſapientia eſt uirtus. Ergo
no Quædam ſapientia non eſt maledicentia.

Reducitur ex eo quod directò ad fidem ſpectat, ſi maiorem uertas ſimpliciter:

Fe Nulla uirtus eſt maledicentia.
ri Quædam ſapientia eſt uirtus. Ergo
o Quædam ſapientia non eſt maledicentia.

At reuocatur ad impoſsibile (ut eo utar nomine) ſi ſumatur complexionis contradicens pro minore:

Ce Nulla maledicentia eſt uirtus.
la Omnis ſapiētia eſt maledicentia. Ergo
rent Nulla ſapientia eſt uirtus.

Ba Omnis turpiloquentia eſt uicium.
ro Quædam paupertas non eſt uicium. Ergo
co Quædam paupertas non eſt turpiloquentia.

Hic modus incōmodò urgendo tātum concluditur, ſumpta complexionis contradicente loco minoris.

Bar Omnis turpiloquentia eſt uicium.
ba Omnis paupertas eſt turpiloquentia. Ergo
ra Omnis paupertas eſt uicium.

Tertiæ formę paradigmata.

Da

Da Omnis truculentia eſt uicioſa.
rap Omnis truculentia eſt tyrannis. Ergo
ti Quædam tyrannis eſt uicioſa.

Minor per accidens conuertitur δεικτικῶς.

Da Omnis truculentia eſt uicioſa.
ri Quædam tyrannis eſt truculentia. Ergo
i Quædam tyrannis eſt uicioſa.

Si reduxeris ad id quod fieri non poteſt maior tibi mutanda erit, minor ſeruanda, ſumpta concluſionis contradicente loco maioris aut propoſitionis.

Ce Nulla tyrannis eſt uicioſa.
la Omnis truculentia eſt tyrannis. Ergo
rent Nulla truculentia eſt uicioſa.

Fe Nulla anagallis eſt arbor.
lap Omnis anagalis eſt herba. Ergo
ton Quædam herba non eſt arbor.

Ac hic minor conuertitur per accidens:

Fe Nulla anagallis eſt arbor.
ri Quædam herba eſt anagallis. Ergo
o Quædam herba non eſt arbor.

Incommodo urgendo reuocatur ad Barbara, ſumpto concluſionis diſparato uice maioris:

Bar Omnis herba eſt arbor.
ba Omnis anagallis eſt herba. Ergo
ra Omnis anagallis eſt arbor.

Di Quædam libido eſt abominanda Deo.
ſa Omnis libido eſt effrenata appetentia. Ergo
mis Quædam effrenata appetentia eſt abominanda Deo.

Tranſpoſita minore maior ſimpliciter retrò commeat

Da Omnis libido eſt effrenata appetentia.
ri Aliquid abominandum Deo, eſt libido. Ergo
i Aliqd abominandũ Deo eſt effrenata appetẽtia.

Ad abſurdum ſeu incommodum redegeris, maiore mutata, minore relicta, ad Celarent, ſi concluſionis contradicens maioris loco ſumpſeris:

Ce Nulla effrenata appetẽtia eſt abominãda Deo.
la Oĩs libido eſt effrenata appetẽtia. Ergo
rent Nulla libido eſt abominanda Deo.

Di Omnis ægritudo eſt recẽs opinio mali præſẽtis.
ti Quædam ægritudo eſt moleſtia. Ergo
ſi Quædã moleſtia eſt recẽs opinio mali præſentis.

Minor ſimpliciter uertitur:

Da Oĩs ægritudo eſt recens opinio mali præſentis.
ri Quædam moleſtia eſt ægritudo. Ergo
i Quædã moleſt. eſt recẽs opinio mali præſentis.

Datiſi incommodo urgendo reuocatur ad Ferio, ſi complexionis contradicens capiatur loco maioris.

Fe Nulla moleſtia eſt recẽs opinio mali præſentis.
ri Quædam ægritudo eſt moleſtia. Ergo
o Quædam ægritudo non eſt recens opinio mali præſentis.

Bo

Bo Quidam luctus non eſt morbus.
ca Omnis luctus eſt dolor. Ergo
rdo Quidam dolor non eſt morbus.

Hic modus tantummodo reuocationi ad incommodum compellenti conuenit, ſumpto concluſionis diſparato, loco maioris:

Bar Omnis dolor eſt morbus.
ba Omnis luctus eſt dolor. Ergo
ra Omnis luctus eſt morbus.

Fe Nulla pigritia eſt ſolicitudo.
ri Quædam pigritia eſt metus conſequẽtis laboris. Ergo
ſon Quidam metus conſequentis laboris non eſt ſolicitudo.

Minor ſimpliciter reciprocatur:

Fe Nulla pigritia eſt ſolicitudo.
ri Quidam metus conſequentis laboris eſt pigritia. Ergo
o Quidam metus conſequentis laboris non eſt ſolicitudo.

Ad abſurdum ſeu incommodum reducitur per modum Darij.

Da Omnis metus cõſequentis laboris eſt ſolicitudo.
ri Quædam pigritia eſt metus conſequentis laboris. Ergo
i Quædam pigritia eſt ſolicitudo.

Hæc de categorica ratiocinatione: nunc ad hypotheticam delabimur.

Hypo-

Hypothetica tribus perficitur enunciationibus, propoſitione, aſſūptione et cōplexione:eaq; ſemper aliquā cōiunctionū adiunctā habet,ex quarū additione hypotheticæ ratiocinationis affectio cognoſcitur. Aut enim Si adiungitur,et cōditionalis uocatur, aut copulandi particula,& copulans nominatur, aut diſiungendi particula,& diſiungens dicitur. Ac hæc argumentatio materiam & formam exigit ad legitimam conſtitutionem. Non enim minus hypothetica ratiocinatio ex hypotheticis enunciationibus, quàm categorica ex categoricis conflatur & efficitur: quanquam altera ab altera in eo differat, quòd hypothetica ratiocinatio remotis & ſublatis coniunctionum particulis, categoricæ uim & naturam expleat, & categoricæ ratiocinationi ſola categorica pronunciata materiam ſuppeditent.

Forma nimirum modus eſt, præſcripta lex, ſequenda & obſeruanda compoſituris hoc in genere argumentationem.

Primum concluſionis genus.

Ab anteceßionis poſitione ad conſecutionis poſitionem ſeu affirmationem præpoſita rationali particula, hoc eſt, quando affirmatur in aſſumptione antecedens, affirmabitur & conſequens in concluſione. ut:

Si frutex eſt, corpus eſt.
Sed frutex eſt, Ergo
Corpus eſt.

Si paterfamilias eſt,dominus eſt.
Sed paterfamilias eſt. Ergo
Dominus eſt.

Secundum concluſionis genus.

A conſequentis deſtructione ad antecedentis deſtructionem:hoc eſt, cùm in aſſumptione conſecutio infirmatur, anteceßio etiam concluſione infirmabitur: Vt:

Si leo eſt ſubſtantia eſt.
Sed ſubſtantia non eſt. Ergo
Leo non eſt.
Si ira affectus eſt,facilè mitigatur.
Sed non facilè mitigatur. Ego
Affectus non eſt.

Tertium concluſionis genus.

*A poſitione antecedentis ad deſtructionem conſequentis in partibus repugnantibus,& contrarijs, id eſt,cum in aſſumptione affirmatur antecèßio,& tollitur conſecutio partium repugnantium & contrariarum in complexione.*Vt:

Nõ ſi prodigus eſt,præceptor non eſt.
Sed prodigus eſt. Ergo
Præceptor eſt.
Non ſi pauper eſt, non it oſtiatim.
Sed eſt pauper. Ergo
It oſtiatim.

In hoc cõcluſionis genere uidẽdũ eſt,ut inter partes cõnexæ, atq; ex duab. affirmationibus copulatæ propoſitionis negatio interponatur, eaq; ipſa negatio denegetur.

Quartum concluſionis genus.

Diſiunctionis anteceſſio ponitur in aſſumptione ut conſecutio infirmetur, hoc eſt: Diſiungentis enunciationis propoſitæ prior pars aſſumitur affirmando ut ſubſequens auferatur. Quo in genere ſunt:

Aut homo eſt, aut aſinus eſt.
Sed homo eſt. Ergo
Non eſt aſinus.

Aut animus immortalis eſt, aut corruptelæ ſubiectus eſt.
Sed immortalis eſt. Ergo
Corruptelæ non ſubiectus eſt.

Quintum concluſionis genus.

In aſſumptione anteceſſio negatur ut in complexione conſecutio affirmetur, hoc eſt, cum in eadem (ut eſt apud Boëtium) diſiunctiua propoſitione id quod primum eſt negando aſſumitur, ut id quod eſt poſterius inferatur. Cuiuſmodi ſunt:

Vel ius eſt, uel iniuria eſt.
Sed non eſt ius. Ergo
Iniuria eſt.

Vel bonus eſt, uel malus eſt.
Sed non eſt bonus. Ergo.
Malus eſt.

Sextum & ſeptimum concluſionis genus ex diſiunctionis modis oriuntur, idq; addita negantia, hoc eſt, Si antecedens ponitur ut conſequens tollatur, argumen-

gumentatio eſt ſexti generis:Sin antecedens tollitur, ut conſequens ponatur,idq; præpoſita negandi particula cum coniunctione copulandi,in ſeptimo complexionis genere conſtituitur,ut:

Non & ciuilis eſt,& ruſticus non eſt.
Sed ciuilis eſt. Ergo
Non eſt ruſticus.

Non & doctus eſt,& arrogans non eſt,
Sed eſt doctus. Ergo
Non eſt arrogans.

Nō et artiū ſtudioſus eſt,& cupidus ludēdi eſt,
Sed eſt cupidus ludendi. Ergo
Non eſt ſtudioſus artium.

Non & agilis eſt,& craſſus eſt.
Sed eſt craſſus. Ergo
Non eſt agilis.

His ita conſtitutis,reſtat ut perpauca de epideictica ratiocinatione diſſeramus, quam ſcientiæ effectricem appellamus.

Ratiocinatio epideictica ex ueris, perſpicuis, & ijs quæ medio carent, notioribus, prioribus, perpetuis,cauſsiſq; concluſionis efficitur.

Ex primis & ueris.

Omne animal rationis & cogitationis particeps, eſt capax diſciplinæ.
Sed homo eſt animal rationis & cogitationis particeps. Ergo
Homo eſt capax diſciplinæ.

Ab iis quæ medijs carēt, id eſt, quæ per ſe nota ſunt, neq; aliorum mediorum confirmationem admittunt, Vt:

Nihil, quod hepate caret, appetit.
Omnis lapis hepate caret. Ergo
Nullus lapis appetit.

Ex cauſsis, & principijs, & primis.

Quotieſcunque ſol fertur ſupra horizontem, dies eſt. Singulis autem uiginti quatuor horis ſemel ſupra noſtrum horizontem fertur. Ergo, *Singulis uiginti quatuor horis ſemel eſt dies.* Item:

Omne ortum interibit.
Omne animal eſt ortum. Ergo
Omne animal interibit.

Non hic omnino negligendum eſt. Demonſtrationem in duobus generibus, nempe effectu & cauſſa verſari præcipue: quorum alterum rem remota cauſa probat, alterum non omninò ſeu ſimpliciter rem eſſe commonſtrat, ſed etiam cauſſam eius, cuius ui efficitur, adiungit.

Prioris generis exemplum.

Omnis uermis eſt animal. Ab effectu.
Omnis ſerpens eſt uermis. Ergo
Omnis ſerpens eſt animal.

Poſterioris exemplum tale:

Quicquid habet cerebrum, ſentit.
Omnis piſcis habet cerebrum. Ergo
Omnis piſcis ſentit.

Huius doctrinam quia in commentario noſtro totam peraccuratè explicauimus, attingimus tantummodo.

Nunc deinceps de ratiocinationũ facultatibus ſeu poteſtatibus nonnihil dicendum eſt: quæ propter formam ratiocinationi conueniant, quando uel ueritatis explicandæ, uel falſitatis docendæ cauſſa adhibentur. Porrò hæ in ſex generibus conſiderantur, nempe, in ui plura concludendi, ex ueris falſum concludendi, in orbem rem docendi, per conuerſionem, per abſurdi demõſtrationem comprobandi, ex repugnantibus enunciationibus efficiendi.

Prima uis & poteſtas in conuerſione & ſubſumptione ſpectatur: hæc in medio uerbo & concluſione, illa tantummodo in concluſione conſtitutæ ratiocinationis conſiſtit. Ac in generalibus, ac ſpecialibus, quæ aiunt, maximè locũ habet, quæ ad partem negatè accommodantur, non item. Valet autem ad augendã orationem, et ad euidentiã & perſpicuitatem concluſioni atque argumentationi accommodandam.

Secunda poteſtas ex falſis ſumptionibus ueritatẽ quidem elicit, non ex ueris falſitatem. Probat autem ex ueris tantummodo uerum effici, ſed ex falſis uerũ. Ex quo duplex genus huic ui conuenientiſſimum proficiſcitur, effectus, cauſſa, quorũ utrunq; ex medij collocatione, atque extremorum affectione cognoſcitur. Nam, ſi ex ueris pronunciatis uera complexio efficiatur, continet cauſſam, ſin ex falſis uera ſequatur

nomina-

nominatur effectus, à quo perficitur ratiocinatio.

Tertia, hoc eſt, probatio, qua quaſi in orbem alia alijs oſtenduntur, in diſſerendo prorſus uitioſa eſt, quia nihil in orbem demonſtrari, ac neceſſaria ratiocinatione concludi poteſt. Hæc facultas probabilibus & ijs quæ ad opinionem referuntur ratiocinationibus conducit, non demonſtrationi: quòd cùm omnis probatio è notioribus rebus petatur, neque ſemper eadem & nobis, & naturæ nota ſint, perſæpe fit, ut contra naturæ ordinem, ſimpliciter notis prætermiſſis ad alia naturæ obſcuriſſima tanquam euidentiſſima delabamur atq; confugiamus.

Quarta fit, cùm conuerſa in oppoſitam qualitatem concluſio cum altera enunciationum, ad eam ſubuertendam enunciationem, quæ reliqua eſt, coniungitur. Confertq; ad exercitationem & copiam argumentorum parandam, & ad diſputandum in contrarias ſententias, & ad conſecutionis firmitatem oſtendendam in diſſerendo, præſertim ſi ex negatæ complexionis repugnantia, præpoſitæ ſumptionis repugnantiam ſequi doceat. Quinta requirit concluſionis contradicentiam, ut ſuprà dictum eſt. Itaque complexio ex aduerſarij hypotheſi falſò & abſurdè collecta conſideratur: hac enim aduerſarium urgemus, & ad falſitatem efficiendam ac concludendam impellimus. Eius utilitas & fructus relucet in confirmatione præceptorum artium & refutatione aduerſarij.

Sexta ex repugnantibus enunciationibus conſtat, qua ratione acuia in ſecunda & tertia collocationis forma concluſio ſequatur docet. Quoniam autem non omnes ratiocinationes ad probandum, ſed etiam ad refellendum conuincendumque accommodantur, ſanè mirabiliter ad confutandum aduerſarium hæc extrema & ultima poteſtas ualet.

Enthymema, Fabius *commentationem nominat: fortaſsis ſecum reputans uocis notationem.* Dici*tur enim* ἀπὸ τοῦ ἐνθυμεῖσθαι, *hoc eſt, à commentando, à cogitando :* Hac *in argumentatione ſemper alterum pronunciatorum reticetur.* Rhetores qui*dem enthymema definiunt, tum argumentum, tum ſchema ex ueriſimilibus, & interdum, ex repugnantibus conſtitutum.* Nos autem *mutilatam ratiocinationem : quòd ex ratiocinatione enthymema efficiatur altera præmiſſarum ſuppreſſa.* Porrò hac *argumentandi forma auctores plerunque capiuntur, tum quòd aliquanto ſtrictiùs & breuiùs hæc ſpecies argumentationis concludat, tum quòd utrarumque ſumptionum explicatione opus non ſemper ſit : quoniam aut altera magis perſpicua eſt, aut non multum adiumenti adfert ad inſtitutum & propoſitum.* Eius *autem duo ſunt genera, antecedens, & conſequens,* Vt: *Gerit uterum,* Ergo *non eſt uirgo.* Lac *habet in mamillis,* Ergo *cum uiro concubuit.*

Meminiſſe hic oportet, ſub cauſſa & ratione in oratione ſoluta non rarò hoc argumendi genus contineri.

Inductio à nonnullis ad partium enumerationem refertur negantibus ſpeciem argumentationis eſſe, ad quam cum Eraſmo nos reuocantes definitione explicamus, inductionem eſſe argumentationem, qua uel ex partibus totum, uel ex formis genus, uel certè alia pars ſpecies'ue efficitur, atque ſequitur, ut: Senſus intereunt, & corpus intermoritur. Ergo: Vniuerſa bruti natura mortalis eſt. Pertinent ſanè ad hanc colligendi formam multiplices rationes, quoties uel communia ex ijs quæ ad partem accommodantur, uel ſimilia ex ſimilibus gradibus quibuſdam demonſtrantur. Etenim hæc argumentandi forma eſt quaſi omnium propè artium, ipſius'que philoſophiæ mater atque effectrix: quòd hoc quaſi inſtrumento communia artium ac diſputationum principia & ab initio conſtituta ſunt, & in quæſtionem uocata fidem obtinent.

Exemplum eſt argumentatio, in qua unum ex alio propter mutuum quēdam conſenſum & ſimilitudinē inductionis more efficiatur. Eius generis eſt: Cicero tēpus à publicis negocijs liberū, partim iuuādis amicis, partim in philoſophiæ ſtudijs conſumpſit. Ergo magni uiri in ocio aliqd agēt. Ex quo perſpicuū eſt,

exemplum eſſe inductionem mutilatam, & imperfectam: quapropter nihil hac ratione neceſſariò efficitur, niſi in perfectæ inductionis formam transferatur.

Sorites eſt argumentatio ex ordine ſeu gradibus enunciationum neceſſariò cohærentium conſtituta, qua probatur minus extremum, ſeu uerbum minus maiori per plura media ineſſe. Eius *materia duplex eſt: Nam aut ex cauſsis effectus gradibus quibuſdam colligitur: aut à ſpecie infima per media genera ad ſupremum aliquod genus conſcenditur.* Prioris *exemplum eſt eiuſmodi:* Vexatio *dat intellectum & cognitionem noſtræ miſeriæ.* Cognitio *noſtræ miſeriæ eſt neceſſaria ad pœnitentiam.* Pœnitentia *neceſſaria exigitur ad pietatem.* Ergo *uexatio ſeu afflictio eſt neceſſaria ad pietatem.* Poſterioris *hoc:* Arithmetica *eſt ſcientia, ſcientia eſt habitus intelligendi, intelligendi habitus eſt qualitas animi.* Ergo Arithmetica *eſt qualitas animi.* Finitima *huic gradatio eſt, quod utraque gradatim orationem diſtinguat ſic, ut dictio particulam præcedentem finiens inchoet ſequentem:* Sed Sorites *ſemper concluſionem annexam habet.* Gradatio *non item.* Cicero *lubricum planè ac periculoſum colligendi genus, & ad fallendum aptiſsimum appellat.*

In Dilemmate *propoſitiones ſunt duæ, quarum utrancunque conceſſeris, uinceris.* Ab *alijs cornutus ſyllogiſmus nominatur.* Vſitatiſsimum *hoc argumentandi*

genus

enus eſt oratoribus et ſophiſtis. Verbi cauſſa: Euath-
us cum Corace ſic erat pactus, ut tũ ſolueret merce-
dem, ſimulatq; artem Rhetoricam perdidiciſſet, uo-
catus in ius ita propoſuit: Rogat Coracem quis eſſet
artis finis, cùm audiſſet perſuadere dicẽdo: Nihil, in-
quit, tibi do Corax, nam ſi perſuaſero iudicibus, nihil
debeo ex pacto, quòd necdum aſſecutus ſum finem ar-
tis. Id ex pari retorſit Corax: Imò ſi uiceris hanc cauſ-
ſam, debebis ex pacto: ſin, uictus fueris, debes à iudi-
cum ſententia.

Violatio eſt argumentatio, in qua ex aduerſario-
rum ratione non id quod ipſi uolunt, ſed quod nobis
utile eſt demonſtramus. Hæc confutationi tantum-
modo adhibetur, ut:

Non ſunt legendi poetæ, quia demulcent legentiũ
animos & alliciunt: Imò ob id ipſum ſunt legẽdi, quia
demulcent animos. Vide Trapezuntiũ in Rhetoricis.

Enumeratio argumentationibus Rhetoricis an-
numeratur, quaſi quædam Enthymematis ſpecies, ſin
excuſſa perdiligenter eius natura, nihil à loco ab enu-
meratione diſtabit.

LIBER TERTIVS.

His iam cognitis & perſpectis: non prætermit-
tenda ſunt ea, quæ propter fraudis occultatæ
ignorationem curſum orationis noſtræ impediunt.
Quorum enim cognitio nos ſubterfugit, eorum per-

facilis eſt deceptio. A quo malo ut animos liberos habeamus, nec unquam deſideremus, quo ea ſubuertamus; tradendus eſt elenchus, hoc eſt, reprehenſio: quam ſtrictißimè perſequemur.

Eſt autem reprehenſio, cùm ui diſputationis aduerſarius cogitur aut negare, quod conceſſerat, aut rurſus concedere quod antè negauerat. Eius genera ſunt duo: unum Verborum, alterum Rerum.

Reprehenſio uerborum diſtribuitur in ſex genera, Homonymiam uerborũ, ambiguitatem, accẽtum, compoſitionem, diuiſionem, figuram. Rerum contrà in ſeptem: A re fortuita ſeu accidenti, à notatione partis & ſimplici conſideratione, ab ignoratione elenchi, à repetitione principij, à conſequente, ex nõ cauſſa quaſi cauſſa, à multiplici interrogatione.

De fallacia ſeu captiuncula homonymiæ.

Homonymia fit cùm nomen polyſemum pro medio collocatur; hoc eſt, hæc captiuncula admittitur, quando aliquod extremorũ, ſeu ueborũ diuerſæ naturæ ſeu ſignificationis in argumẽtationem incidit. Ac id tribus cõmittitur rationibus: Cùm terminus diuerſorũ ſignificatorum æquè principaliũ eſt, & contrà, non æquè principalium uerbũ eſt. Rurſum, quando terminus ſortitur diuerſam uim et naturã ex cõpoſitionis parte. Primi generis exemplũ eſt eiuſmodi: Omnis canis eſt animal: Cœleſte ſidus eſt canis: Ergo cœleſte ſidus eſt animal. Alterius exẽplũ eſt: Omne ꝙ eſt ſanũ, -ſt animal. Vrina eſt ſana; Ergo urina eſt animal. Omnis homo comedit et bibit. Homo eſt pictura

ædã in pariete, aut ſtatua: Ergo pictura ſeu ſtatua
oīs comedit & bibit. Poſtremi generis exemplū ta=
: Omne q̃ eſt immortale non poteſt mori. Homo ex
uæ priſtinæ naturæ ſtatu fuit immortalis. Igitur non
poterat mori. Omne q̃ ſub inueſtigationē cadit, po-
teſt inueſtigari, Viæ Dei, ut præclarè à Paulo ſcriptū
eſt, ſub inueſtigationē cadūt. Ergo inueſtigari poſſūt.
Argumētationes hinc petitæ ſublatiõe ac diſtinctio-
ne diluūtur. Sublatione, quū aliqua præmiſſarū in ue=
ritate laborat. Diſtinctiõe, quū mediū uariè capitur.
Qua de cauſſa diligēter cauēdū eſt, ne rogatus capti=
unculæ occaſionē præbeas, alioqui uel inuitus ſub re-
prehēſionē ſubijcieris. De fallacia ambiguitatis.

Ambiguitas fit, cū aut uerborū collocatiõe, aut am
bigua interpretatiõe delabimur in errorē. Quod ho
monymia in ſimplicibus uocibus, id ambiguitas in
orationib. nā hæc ex uarietate orationis diuerſos ſen
ſus ſuo cõplexu coercētis, atq; cõtinētis pſpicitur: illa
ex diuerſitate ſignificationū unius dictiõis. Atq; hæc
ex cõſtructione, formaq; loquēdi in oratione oritur.
Cõſtructione, quū nomē aliquod annectitur uerbo di
uerſos caſus ante ſe uel poſt ſe admittēti, Vt: Quod qs
intelligit, id intelligit: grammaticā intelligit: grāma
tica igit̃ intelligit, et prædita eſt intelligētia. Quod
aliquid ſecat, idipſum ſecat. Sed ſecat aliquis carnem.
Ergo caro ſecat. Ex forma loquendi naſcitur ambi=
guitas, ſi parœmia utaris multis accõmodata. Cuius
exēplum eſt: Qui equo ultrò currenti calcaria addit,
equo inuehit̃, Sed q aliquē monet eius ad q̃ ſua ſpõte

pendet calcaria addit. Qui ergo monet quempiã eius ad quod ſuapte ſponte tendit, equo inuehitur. Non diſſimili ratione hæc fallacia diluitur, qua ſuperior.

De captiuncula accentus.

Hanc fallaciam ex diuerſa uocum pronunciatione ac quantitate metimur. Omnia mala ſunt deteſtanda: Poma ſunt mala. Ergo ſunt deteſtanda. Omnis populus eſt arbor. Sed hominum cœtus eſt populus. Ergo hominum cœtus eſt arbor. Omnis ara eſt in templo. Sed ſtabulum porcorum eſt hara. Ergo ſtabulum porcorum eſt in templo.

Ac hæc fallacia tribus rationibus efficitur, quantitate, orthographiæ mutatione, eò quòd dictione ſeiunctum eſt, eidemq; adiunctum uariat uocis uim & naturam. Infirmatur autem examinatione rationis, ſeu conſecutionis, ac diſtinctione.

De fallacia compoſitionis & diuiſionis.

Cùm coniunguntur quæ non eòdem ſpectant, fit cõnexio ſeu compoſitio, hoc eſt, Fallacia compoſitionis fit, quando ex uera enunciatione diuiſo ſenſu, & ex falſa coniuncto ſenſu efficitur concluſio falſa, quæ ex illa pronunciatione, niſi ſumpta in ſenſu coniuncto, non ſequitur. Contrà diuiſionis fallacia eſt cùm ſeparantur connectenda. Prioris exemplum eſt: Demiſſus & humilis poteſt eſſe ſuperbus. Ergo fieri poteſt ut idem, humilis ſit et ſuperbus. Poſterioris exemplũ eſt: Duo et tria ſunt paria et imparia. Quinq; aũt ſunt duo & tria: Quinq; ergo ſunt paria et imparia.

De

De captione figuræ.

Quum ab una categoria tranſitur ad alteram, ſi=ue cùm diuerſæ res eodem genere eademq́; forma ora tionis, exprimuntur, ut:

Quæcunq; ſub tuarum aurium ſenſum heri uene=runt, etiamnum in animo habes.

Sed tonitrus heri ſub tuarum aurium ſenſum ue=nit. Ergo tonitrum etiamnum in animo habes.

Hoc loco de qualitate ad naturam deſcendo, quam=obrem diſtinctione infirmandum eſt aſſumptum:

Quicquid hodie emiſti, id comediſti:
Sed crudum emiſti: Ergo
Crudum comediſti.

Altera enunciatio de ſubſtantia, altera de qualitate ſentit.

De fallacia accidentis.

Ex accidente, tum captioſa & fallax concluſio de promitur, quum aliquid eodem modo æquè rei atq; accidenti uolumus conuenire. Vel eſt coniunctio di=uerſorum in uno ſubiecto. Tribuitur enim idem natu ræ et accidenti. Velut: Quicquam ego ſum tu non es. At ego ſum homo: Ergo tu non es homo. Hoc uer=bum τὸ ἀνω in propoſitione qualitatem, in aſſumptio ne eſſentiam ſignificat. Illic eſt attributio aduẽtitia, hic eſſentialis. Hic canis pater eſt, & tuus eſt: Tuus igitur pater eſt. Accidit enim tantummodo ut ſit ca=nis, & tuus, & pater. Hæc ita diſcutientur ſi dican=tur alia atq; alia eſſe, quæ pro uno accipiuntur in ac=cidentibus.

cidentibus. Atqui *hæc fallacia latiſſimè fuſa eſt et ma nat: quoniam omnis argumentatio uitioſa, quæ falſò formam ratiocinādi obtinet, huc pertinet.* Ex quo *fit atq; euenit, ut malitioſas ratiocinationes regularum ſeu generalium, ſeu ſpecialium tramitem tranſgreſſas, pleriq; ad hanc fallacem concluſiunculam reuocent:* Eius *generis erit, ſi ex negationibus, aut ex ſpecialibus fiat progreſſio.* Ne *q; deſunt, qui arbitrētur, à diuiſis ad coniūcta, huc referendū eſſe,* Vt: Hic *homo eſt bonus & eſt artifex.* Ergo *eſt bonus artifex.*

A notatione partis & ſimplici cõſideratione.

Hæc captioſa concluſiuncula uulgò dicitur: A *dicto ſecundum quid ad dictum ſimpliciter.* Quando *in conſecutione omittitur, quod in anteceſſione non fuit medium, ſed definitio quaſi determinatio quædam adiungitur.* Cuiuſmodi *ſunt:* Aethiops *eſt candidus dentibus:* Ergo *eſt candidus.* Homo *ex externa ſpecie ſanctus eſt:* Ergo, *eſt ſanctus.* Hæc *ſtatua eſt homo ſculptilis ex marmore:* Ergo *eſt homo.*

De ignoratione Elenchi.

Elenchus *eſt (ut* Ariſtoteli *placet) oratio contraria unius eiuſdemq; non uerbi, ſed rei: & uerbi non ſynonymi, ſed eiuſdē: quæ quidē ex ijs quæ data ſunt & conceſſa, efficitur concluditurq; neceſſariò, non adiuncto eo quod initio dictum eſt, quod eadem ex parte, & in eadem re, eodemq; modo & in eodem tempore dicatur, ut:* Aethiopes *dentibus & unguibus candidi ſunt, reliquâ corporis parte non item:* Ergo

& can

& candidi & non candidi ſunt.

Eraſmum cum Liſtrio ambulantem uidi: ſolum e-untem non uidi. Ergo Eraſmum uidi, & non uidi.

A petitione principij.

Hoc uitioſum argumentandi genus quadrifariam ſumitur, uel cùm ratiocinatio eſt, uel cùm id capitur quaſi confeſſum & notum pro argumento, de quo adhuc controuerſia eſt, uel ignotum per æquè ignotũ probatur, uel cùm poſterius probat id quod prius eſt ordine præpoſtero, Vt: Omnis homo eſt capax diſciplinæ. Sed omne animal rationis particeps eſt homo. Ergo Omne animal rationis particeps eſt capax diſciplinæ. Omnis uir doctus eſt probus. Timotheus eſt uir doctus. Ergo Timotheus eſt probus.

De conſequentis fallacia.

Quando bona conſecutio infirmatur, incidimus in captionem conſequentis: id autem tribus generibus committitur. Cum quis arbitratur ſicut ab antecedente fit progreſſio ad conſequens, ita à conſequente ad antecedens progreſſionem fieri, uelut ſi dicas: Hoc eſt flauum. Ergo eſt mel, quia mel flauũ dicitur eſſe. Si Deus afficitur, Deus iraſcitur. Ergo ſi Deus nõ afficitur, nec iraſcitur. Nã à genere ad ſpeciẽ confutando tantũ ducitur argumẽtũ: à ſpecie aũt ad genus cõfirmãdo. Affici uelut genus eſt ſpecici iraſci. Dein, ſi quis arbitretur, ſicut conſequentis remotio remouet antecedens, ita antecedentis abolitionem abolere conſequens. Poſtremò ſi quis communiter accidentibus

per

per conſequens oſtendi poſſe putet antecedens, uocatur'q; à contingentibus.

A non cauſſa ad cauſſam.

Ea fallacia ex locis cauſſarum & effectuum ſumitur: ac ferè incidit in uim per abſurdi demonſtrationem probandi, ut: Anima *& uita ſunt idem:* Ortus *et interitus numerantur in contrarijs. ac mors eſt interitus.* Ergo *uita eſt ortus, & uiuere in lucẽ proferri.*

Hæc *ratio ad oratores malos pertinet, non ad eloquentiam quæ ars bona eſt.*

De multiplici interrogatione.

Q*uando autem denuo plura dicuntur, & ad eorũ conceßionem frequẽtia interrogationum ſine diſtinctione traducimur, in hanc extremam captiunculam detrudimur:* Et *contrà, unum de pluribus, uel plura de pluribus.* Nunc *ferè omnem, & perſpiciendi quid in quaq; re ſit, ſcientiam, & iudicandi quale quidq;, & ratione & uia diſputandi; in his libris tractauimus, quos ſi ut conquiſitè conſcripſimus, ita diligenter plerique fuerint conſecuti, & nos induſtriæ fructus ex ſua cognitione capiemus.*

(.·.)

FINIS.